FORTVNII LICETI
GENVENSIS
In PATAVINO Lyceo Philoſophi Ordinarij

De Mundi, & Hominis Analogia
Liber Vnus.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM

D. D. EDOARDVM
Baronem Herbert de Cherbury in Anglia, & Caſtri Inſulæ de Kerry in Hibernia, & Pari vtriuſque Regni, Virum vere litteratiſſimum.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti.
M DC XXXV. *Annuentibus Superioribus.*

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D. D.

EDOARDO

BARONI HERBERT

De Cherbury in Anglia,

Et Caſtri Inſulæ de Kerry in Hibernia, & Pari vtriuſque Regni.

Fortunius Licetus B. A.

VIRVM dominum inter ardua politicorum negocia tempus inuenire, quo ſeſe dedat ocio litterario, rarum eſt adeo, vt illa beatitas, quam Plato pollicetur Reipublicæ a Domino philoſophante gubernatæ, potius habeatur in votis, quam videatur in terris (inclyte

Digitized by Google

Baro) verum eodem tempore publica munia grauiſſima, quin & arma tractare, ſimul & inſignia diſciplinarum monumenta condere, rariſſimum iam eſt hoc admirabilis opus ingenij, quod humanæ conditionis faſtigium teneat: Cæſar quidem inter arma, ſed tamen militaria texuit commentaria: neminem autem reperi, qui Philoſophiæ voces audiret in bellicis tumultibus, præter Te (præſtantiſſime Domine) quem arma ſtrenue tractata diuerſis in regionibus, quem Legatio Gallicana plurium annorum de rebus maximis inter ſummos Reges, quem alia plurima tum publica, tum priuata negocia difficillima non ſolum a philoſophandi munere de ſcopo tenebricoſiſſimo retrahere non potuerunt; ſed permiſerunt, dederuntque nobis inter tot grauiſſimas curas eximium Autorem præcelſi voluminis illius De Veritate, quo nuper Mundus litterarius ditatus eſt: Volumen doctrinæ multiplicitate ſpectabile, ſapientiæ ſubtilitate mirabile, argumenti amplitudine prorſus incomparabile; quod ſummo cuique Philoſopho mente concepiſſe magnum quid foret: Quum itaque perſpicax illa mens tua non ſolum inuentionis inſigni fecunditate conceperit olim Vniuerſæ Veritatis ingentem fætum, ſed eumdem præcipuis fere membris mirifice formatum parturire

coepe-

cœperit; hoc opere nunc in admirationem Tui ſtudioſos illexiſti; ſed me ſpeciatim,qui præſtantiam, & amplitudinem ingenij tui non poſſum non exoſculari. Ne vero ſummæ virtutis Tuæ cultus hic meus iners & occultus in me maneret, ſed Tibi, Reipublicæque toti litterariæ pateat, ſymbolum pono volumen hoc meum DE MVNDI, & HOMINIS ANALOGIA; quod inclyto Nomini Tuo conſecro. Te quidem virum vere nobiliſſimum,ac litteratiſſimum decerent æterna-ſcribentis aureo calamo ſtyloque prorſus adamantino (quali me nuperrime muneraſti) delineata monumenta: ſed Tuæ ſummæ benignitatis erit hoc etiam leuidenſe munus a mea tenuitate profectum lęta fronte ſuſcipere. Vale Vir eximie, ſciasque me Tuæ multiplicis doctrinæ, Tuæque mirabilis ingenuitatis, incomparabilisque modeſtiæ maximum admiratorem eſſe.

Patauij M DC XXXV. Cal. Martij.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

hoc volumine contentorum.

PRæfatio proferens operis argumentum,& doctrinæ methodum aperiens. pagina 1
Analogia Mundi,& Hominis in vtriuſque nominibus animaduerſa. Caput Primum. 2
Mundum,& Hominem conuenire in cauſſa finali. Cap. II. 9
Mundi cum Homine mira ſimilitudo perſpicitur in vtriuſque cauſſa effectrice. Cap. III. 12
Mundo, & Homini conſimilem vtcumque ineſſe cauſſam formalem. Cap. IV. 19
Mundi,& Hominis analogia conſideratur in vtriuſque cauſſa materiali. Cap. V. 39
Mundanam, & Humanam originem ſimili modo gaudere. Cap. VI. 45
Mundum, & Hominem obtinere ſui conſtitutionem perſimilem. Cap. VII. 47
Eſſentia Mundi mirifice proportionata demonſtratur cum eſſentia Hominis. Cap. VIII. 52
Mundi, & Hominis analogia colligitur ex vtriuſque duratione, & æuo. Cap. IX. 57
Mundo, & Homini conſimilem vnitatem congruere. Cap.

Cap. X. 62
Mundi, & Hominis æque finitam eſſe magnitudinem. Cap. XI. 65
De Mundi,& Hominis figura circulari. Cap. XII. 67
De loci poſitionibus Homini, Mundoque ſimiliter conuenientibus. Cap. XIII. 70
In Mundo, & Homine ſpectari ſimiliter quamdam imaginem Dei. Cap. XIV. 76
Mundi, & Hominis analogia deducitur ex eo, quod Veteres Mundum pingebant ſub effigie ſemicapri Panis. Cap. XV. 88
Veteres Mundum pinxiſſe Humana forma ob ſummam Hominis cum Mundo analogiam. Cap. XVI. 91
Mundi partes integrales mirifice repræſentari a partibus integrantibus Hominem. Cap. XVII. 94
Mundi cum Homine ſimilitudo mira conſpicitur ex partibus vtriuſque eſſentialibus. Cap. XVIII. 99
Mundo, & Homini pariter ineſſe charagma Mundi intelligibilis. Cap. XIX. 102
Mundi,& Hominis analogia deducitur ex eo quod vterque veteribus pingebatur ſub anguis imagine. Cap. XX. 105
Summa Mundi, & Hominis analogia depromitur ex eo, quod vterque ſit ludus Dei. Cap. XXI. 109
Mundus, & Homo ſimiliter dicitur Dei Templum. Cap. XXII. 112
In Mundo, & Homine ſpectatur myſtica Domus. Cap. XXIII. 117
Mundo ſimiliter, & Homini competit Ciuitatis, ac Reipublicæ myſticum ſimulacrum. Cap. XXIV. 120
Mundus, & Homo ſimiliter apte nuncupatur Carcer, & Spelunca. Cap. XXV. 129
Mundus, & Homo Prouinciæ bene gubernatæ ſimiliter comparatur. Cap. XXVI. 134

Mun-

Mundus, & Homo pariter ſimilis eſt Exercitui. Caput XXVII. 136

Mundum, & Hominem apte Currui comparari. Caput XXVIII. 138

Analogia Mundi, & Hominis colligitur ex vtriuſque ſimili habitudine partium ad inuicem, & ad ſuum totum. Cap. XXIX. 141

Mundi, & Hominis analogia deſumitur ex eo, quod vtriſque proportionatæ congruunt Anni tempeſtates, Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems. Cap. XXX. 149

In Mundo vt in Homine ſpectari quamdam riſus imaginem. Cap. XXXI. 154

Mundum, & Hominem quoquopacto communicare in operationibus intellectus, ac voluntatis. Cap. XXXII. 156

Mundo, & Homini proportio num inſit in locutione. Cap. XXXIII. 158

Mundus an habeat analogiam cum Homine in functione ſentiendi. Cap. XXXIV. 159

Mundi, & Hominis analogia colligitur ex eo, quod vtriſque conuenit eodem fere modo operatio motus. Caput XXXV. 162

Mundi, & Hominis analogia in functione nutriendi conſideratur. Cap. XXXVI. 163

Mundi, & Hominis analogia ſpectatur in operatione augmenti, & decrementi. Cap. XXXVII. 166

Mundi, & Hominis analogia conſideratur in operatione generandi, procreandique ſobolem. Cap. XXXVIII. 168

Peroratio totius operis. Cap. XXXIX. 170

FOR-

FORTVNII LICETI
AD SVVM LIBRVM
De Mundi, & Hominis Analogia

Præfatio proferens operis argumentum, & doctrinæ methodum aperiens.

Celeberrimam illam Humanæ, Mundanæque naturæ proportionem, Hominiſque cum Mundo mirabilem ſimilitudinem; paſſim ab omnibus prædicatam, a nemine, quem ego viderim, ſatis hactenus explicatam, dedita nunc opera meditaturus, peculiarique volumine deſcripturus; quum Ariſtotelica doctrina, quinimmo quum humana ſapiẽtia nobis ea omnia ſuppeditare nequeat, quæcumque Mundi ſenſibilis cum Homine cognationem patefacere valent; ideo non pure phyſicam, ſed Hierophyſicam de propoſito contemplationem aggredior; e ſacris litteris ea delibaturus, quæ non aliunde conſtant de Magni, & parui Mundi conſenſione. Plurimum tamen erimus in hoc opere Peripatetici, nec Platonicam doctrinam aſpernabimur, altioriſque ſapientiæ dogmata ſuis quæque locis venerabimur. Dominus illuminatio mea ſit.

Analogia Mundi, & Hominis in vtriuſque nominibus animaduerſa. Caput Primum.

PLatonicorum dogma celebratur, in cuiuſque rei tractatione poſt Numinis inuocationem ſumendum exordium a nomine; quod foret *a* doctrinæ inſtrumentum ad rei naturam & eſſentiam indicandam, a Sapientibus impoſitum: a qua ſententia minime diſceſſit *b* Ariſtoteles, qui ſemper a nobis notioribus, & a *c* confuſis doctrinæ ordinem auſpicatus, nomina *d* confuſe illud idem ſignificare conſtituit omnibus, quod definitio diſtincte paucis, hoc eſt, ſapientibus aperit. A nominibus ergo Mundi, & Hominis ipſorum analogiam ante omnia deducamus. Porro Mundi nomen triplex eſt, Orbis, Mundus, Omne: Mundi quidem nomen Homini commune ſtatuit Ariſtoteles, dum Hominem appellat Mundum paruum, Vniuerſum vero dicit Mundum magnum, his notis, * *εἰ δ' ἐν ζώῳ τοῦτο δυνατὸν γίγνεσθαι, τί κωλύει τὸ αὐτὸ τοῦτο συμβῆναι καὶ κατὰ τὸ πᾶν; εἰ γὰρ ἐν μικρῷ κόσμῳ, καὶ ἐν τῷ γίνεται, καὶ ἐν μεγάλῳ: καὶ ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ἐν τῷ ἀπείρῳ.* id eſt, *Si autem in animali hoc poſſibile eſt fieri, quid prohibet idem hoc accidere & in Vniuerſo? Si enim in paruo Mundo fit, & in magno: & ſi in mundo, & in infinito.* Quæ quidem ſententia, licet Mundo comparare videatur animal; animalis tamen nomine nobis intelligendus eſt Homo, qui cunctorum animalium noſtratium eſt perfectiſſimus: Vtrique igitur Mundi nomen commune eſt, ſola magnitudine ac paruitate, proindeque accidentaria differentia diſcretum; nam magnitudo, & paruitas eſſentiam rei non variat: Di-

a in Cratylo.
b 1. ethic. cap. 4.
c 1. phyſ. t. 2. 3.
d 1. phyſ. t. 5.
* 8. phyſ. t. 17.

Dicitur ergo Homo Mundus paruus, & Vniuerſum Mundus magnus. Quin & mutuato a Græcis vocabulo Latini plerique iuniores Hominem appellant, compoſito nomine, Microcoſmum, & Vniuerſum Megacoſmum, & Megalocoſmum: vt autem hæc nomina compoſita non leguntur apud Græcos vllos, nec apud Latinos priſcos, aut elegantiores; ita qui nuncupant Vniuerſum nomine Macrocoſmi proprietatem vocabuli minime ſeruare videntur. Sed, vt Beda Venerabilis, doctus magis quam elegans, ſemel Microcoſmi nomine compoſito vſus eſt; ita nec imitari, nec laudare poſſumus illos, qui librorum ſuorum titulos deformant nomine Microcoſmi; titulus enim eſt veluti libri facies, quæ primo ſe ſe prodit in conſpectum, adeoque ornanda eſt, & ab omni macula detergenda; in eaque omnia pura, & nitida ponenda ſunt. Ceterum Coſmi nomen quum proprie ſignificet ornamentum; & apud Latinos Mundus a Munditie nuncupetur; vtrumque nomen a pulchritudine ducitur. Sane pulchritudo, quæ Græcis eodem nomine κάλλος cum bonitate coniungitur, æqualis, & eadem fere Mundo congruit, & Homini. Quum enim pulchritudo ſit apta partium ad ſeinuicem, & ad totum proportio cum venuſtate colorum; proindeque, vt ait in Gorgia Plato, Pulchritudo eſt poſſe ad ſingula opem ferre: hæc mira eſt in Mundo; mira eſt in Homine: in Mundo quidem; nam *e* Ariſtoteli natura Vniuerſi habet ipſum bonum, & ipſum optimum tum in ordine ſuarum partium, tum in ſe tota; vnde conſtituitur eſſe *f* Ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ a Deo, & per Deum ſic ſeruantur; vt *g* cinno contrariorum commode attemperato, velut in choro a ſummo præſule ad harmoniam pulcherrime referantur. Quin etiam eidem *h* Autori, quicquid pulchritudine præditum eſt, id quaſi gentile

e 12. Metaph. t. 52.
f de Mund. cap. 2.
g de Mund. cap. 6. & 7.
h de Mund. cap. 6.

cum Mundo ſocietatem habet; adeo quod recte, atque ordine conſtitutum eſſe id a Mundi nomine concinne digeſtum Græco ſermone, conſentaneaque partium compoſitione ſpecioſum eſſe ſignificatur. Sic ergo Mundus, qui eſt ordinata rerum omnium compago a ſummo Deo recte gubernata, pulcherrimum quid eſt, & optimum inter omnia corpora; quod propterea ſcitiſſime Græcis **κόσμος**, & Latinis Mundus appellatur; & quum omnia corpora intra ſui ambitum complectens, nihil

i 1. Cœl. t.100. quantum *i* extra ſe habeat, omnem magnitudinem in ſe continens, Magnus Mundus, **μεγάλος κόσμος**, nuncupatur. In Homine vero proportionatam Mundanæ pulchritudinem intuearis; nam vt Mundus veluti totum eſt finis omnium ſuarum partium; ſic Homo promulgatur

k 2. phyſ. t.24. ab *k* Ariſtotele finis omnium rerum; ac, vt in Mundo, cuncta continente, partes omnes ad vſum vnius Homi-

l 1. Cœl. t.5.&ſeqq. nis in centro Mundi degentis conſpirantes, *l* centrum ſingulæ reſpiciunt, vel ad quod moueantur, vt grauia; vel a quo ferantur, vt leuia; vel circa quod cieantur, vt neutra; quo factum eſt, vt figura ſit omnium capaciſſi-

m 2.de an. t.35. 12. Meta. t.53. ma, & centro definita conſiſtat: Sic Homo Dei *m* gratia conſtitutus, ad cuius cultum & fruitionem inſtitutus eſt, figuræ rectæ corpus habet vergens ad æthera, Dei

n 2. Cœl. t.2. *n* Domicilium, quod myſticum centrum eſt, a quo prodijt homo in ortu, ad quod tendit in obitu, circa quod ſemper circumuolui debet in vita ſua. Vtque Mundus præter admirabilem ſuarum partium ad ſemuicem, & ad ipſum totum proportionem, obtinet etiam lucem, &

o 2. de an. t.68. lumen, veluti venuſtiſſimum colorem; ſic homo colore pulcherrimo nitet, lucis maxime participe; vnde

p Macrol. 1. Satur. cap.7. Græcis Homo eodem nomine cum lumino *p*, **φὼς** appellatur, cuius rei præclarum habemus Macrobij teſtimonium ita dicentis de Pelaſgis, *Quumque diu humanis capi-*

tibus

tibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placare ſe crederent, propter oraculum in quo erat,

Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

hoc eſt

Et capita Diti, & patri mittite virum, ſiue, lumina Herculem, ferunt, poſtea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem, ſuaſiſſe illorum poſteris, vt fauſtis ſacrificijs infauſta mutarent, inferentes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata; & aras Saturnias non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes; quia non ſolum virum, ſed & lumina Phota ſignificat. Inde mos per Saturnalia miſſitandis cereis cœpit. Immo vt Vniuerſi ſuprema pars, Cœlum appellata, ſideribus miro ſplendore micantibus diuinarum mentium *q* habitaculum ſuſpicitur: ita Hominis caput altiſſima pars, oculorum fulgore ſplendida, mentis humanæ Domicilium *r* Galeno intra ſe gerens, Cœlo a Platone in Timæo comparatur aptiſſime. Recte igitur Mundi nomen Homini congruit, ob cognatam vtriuſque pulchritudinem, & bonitatem; qua ille Μεγάλος κόσμος, Magnus Mundus; hic Μικρὸς κόσμος, Paruus Mundus appellatur. Quam theoriam paſſim omnes aliqua ex parte tetigerunt; ac *ſ* Simplicius aperte fatetur, ac perſuaſit Vicomerçato, Animal, ſeu Hominem dici paruum Mundum, ac Magno Mundo ſimilem, ob ordinem, & harmoniam multarum partium, ex quibus vtriuſque natura coagmentatur. At vero nos aliam nominis cognationem in vtroque hoc Mundo, Magno ſcilicet, ac Paruo, detegimus abditiorem: Quum enim rerum Vniuerſitas tribus nominibus paſſim appelletur; Orbis, a figuræ ſuæ rotunditate; Mundus, a partium ac totius Munditie, pulchritudine, atque concinnitate; ac Omne, ſeu Omnia, a ſui amplitudine, qua continens in ſe cuncta, dicitur etiam Vniuerſum, quaſi om-

q 8. phyſ. t.84.
r 2. de plac. cap. 5.
ſ 8. phyſ. com.17.

omnia in vnum verſa: profectò tria hæc Magni Mundi nomina, Orbis, Mundus, Omne, per vnum hoc nomen Homo, tres tantum in ſe litteras habens, aptiſſime referuntur; dempta ſiquidem aſpiratione, quæ vere

t lib.1.c.6. littera non eſt, vt admonet t Quintilianus, & u Agel-
u lib.2.c.3. lius in ſuis Noctibus Atticis, reliquæ ſunt tres litteræ O M O, quæ ſunt Acroſtichis nominum Vniuerſi, quarum prima denotatur Orbis, altera Mundus, tertia Omne: A nomine vero *Homo*, primam illam aſpirationem non ſolum pepulit Danthes; ſed tale nomen non aſpiratum, nobis eſſe naturale, docet ea ratione, quod in vultu cuiuſque noſtrum aperte legatur; quum geminos orbes oculorum, duas orbiculares litteras exprimentes, ambiat triplex linea eminens naſi, & malarum, triſi-

x Purgat. cant.23. dam litteræ m figuram referens; dum x ait,

Paren l'occhi aie annella ſenza gemme.
Chi nel viſo de gli huomini legge Omo,
Ben hauria quiui conoſciuto l'emme.

Quandoquidem in facie hominis duę malarum eminentiæ per ſuperciliorum arcus coniunctæ ſuperne cum naſo, inde ad labia protenſo, repræſentant litteram m; intra cuius lineas duę cauitates oculorum efformant duas litteras O O; quæ quidem in vultibus hominum emaciatorum euidentius conſpiciuntur ſub hac imagine : Nomen igitur Hominis, eiuſdem vultui naturaliter inſcriptum, eſt Acroſtichis formata ex tribus litteris Orbis, Mundus, Omne; quæ ſunt tria Vniuerſi, ſeu Magni Mundi nomina. Quam opinio-

y Pſal.4. nem ſatis innuere videtur ſacra y pagina, in qua legitur, *Signaſti ſuper nos lumen vultus tui Domine*: quum enim vultus ea pars vna ſit, qua vnuſquiſque cognoſcitur: Deus autem a nobis cognoſcatur per viſibiles magni mundi partes; ex quarum ordine, pulchritudine, ac motu no-

ſter

ſter intellectus attollitur in abditiſſimæ ac ineffabilis eſſentiæ Diuinæ qualemcumque notitiam; propterea magnus hic mundus ſenſibilis apte dicitur eſſe Domini Dei vultus: Lumen autem vultus congrue dicitur cuiuſque rei nomen; quia nomen, ceu lumen, rem quamque patefacit, ac manifeſtat: Deus itaque tunc ſignauit ſuper nos lumen vultus ſui, dum in facie noſtra depinxit, & figurauit naturali quadam Acroſtichide tria ſenſibilis Mundi nomina, Orbis, Mundus, Omne, ſub hac effigie M, quæ O M O eſt, nomen noſtrum proprijſſimum. Hinc recte apud z Apuleium, Homo totus in capite, & vultu eſt; namque prudentia, & ſenſus omnes in illa parte continentur; cetera omnia membra capiti ancillantur. Hinc docte apud a Ariſtotelem reprehenduntur illi, qui Mundum ab inferiori ſui parte ſubcæleſti determinant generationi, & corruptioni obnoxium; quum a parte cæleſti, quæ decreto b Platonis capiti & vultui proportione reſpondet, denominari debeat generationis, & corruptionis expers. Itaque nominibus iiſdem appellantur Paruus, & Magnus Mundus; quod apertius atque diſtinctius inde conſtat; quia Magnus dicitur Orbis, eo quod omnes illius partes integrantes donantur * circulari figura; terra enim globoſa eſt; Aqua circa terram mouetur tumida ſphæricitate; Aer circa globum ex terra, & aqua conflatum orbicularis eſt; ſupra aerem elementum ignis rotunditatem habet, atque a motu cœli voluitur in gyrum; ſupra elementa ſingulæ ſphæræ cœleſtes orbicularem obtinent & motum, & figuram: ſic Homo dici poteſt Orbis; quia partes humanæ maximopere gaudent rotunditate; ſub ſphærico namque capite collum teres eſt; infra collum thorax rotundam æmulatur figuram; imus venter extuberat in globi ſpeciem; brachia, femora, cruraque ſingula tor-

z 1. de dogm. Plat.

a 4. Meta. t. 23.

b in Time.

* 2. cœl. t. 26. & 30.

nantur

Digitized by Google

nantur tereti figura; partes etiam internæ cunctæ ad orbicularem imaginem effigiantur: Quin & circulum eſſe res humanas conteſtatur *c* Ariſtoteles. Platoni vero in Sympoſio apud Ariſtophanem perfectus ac integer homo rotundæ figuræ deſcribitur; ac talis quondam ab initio fuiſſe dicitur lepida quadam narratione. Magnus ille vocatur Mundus a mundicie, ac pulchritudine, vt ait Plato in Gorgia; quam admirantur, & deſcribunt egregie *d* Plato, *e* Ariſtoteles, *f* Galenus, *g* Plinius, & alij plurimi: Hominis item mira mundicies eſt, & pulchritudo; quam nemo non videt, nemo non prædicat; quamque cuſtodiendam eſſe frequenter iubet ſacra *h* pagina, leproſos, pollutos, & menſtruatas arcens ab humano commercio; & immundorum animalium eſum hominibus interdicens. Magnus demum ille Mundus, quod omnia contineat intra ſui ambitum, appellatur Omne, ac Vniuerſum, quaſi omnia in vnum verſa: ſic Homo Magni Mundi compendium, vt dicebat *i* Ficinus omnia per quamdam ſimilitudinem in ſe habet; *Homo denique*, ait, *totus eſt mundus, per intellectum quidem refert proportione aliqua firmamentum; per rationem ſpeculatiuam Saturnum; per practicam Iouem; per vtriuſque expreſſionem Mercurium; per ſenſum imaginationemque Solem; per iraſcibilem Martem; per concupiſcentiam Venerem; per vegetalem Lunam; per vehiculum Cælum; per corpus tractabile regionem elementalem*: Nobis vero Mundi compendium eſt Homo; quia omnia per quamdam participationem intra ſe continet, elementa, ex quibus ceu miſtum corpus conſtituitur; plantarum naturam, cum quibus eſt in genere vegetabilium; animalium ſortem, cum quibus communem habet ſentiendi, & mouendi facultatem, animalium *k* conſtitutricem; cœleſtem quoquo pacto ſubſtantiam; quia ſpirituoſa ſubſtantia ſeminis humani proportione re-

c 17. ſect. probl. 3.
d in Tim. c.
e de Mund. c. 6. 7.
f 3 progr. com. 3.
g lib. 2. c. 4.
h Deut. ca. 23. Leuit. c. 15. & alibi paſſim.
i com. in Plat. Tim. cap. 29. append.
k 2. de an. t. 16.

reſpondet elemento ſtellarum, vt ait *l* Ariſtoteles; ac denique Diuinam quodammodo Mentem; quoniam Intellectus humanus Intelligentijs, Deoque ſummo mirum in modum ſimilis, ac maxime cognatus eſt, eodem *m* Ariſtotele doctore. Vnde rectiſſime Chalcidius in Timæo Platonis infit, Homo paruus Mundus recte nominatur; quia ex ijſdem omnibus eſt, corpore eamdem habente materiam; anima eiuſdem naturæ, ſcilicet intellectualis. *n* Mirabellius Hominem denominat a Græco nomine ὁμόνοια, quod concordiam ſignificat, & conſenſum; quod Homo ſit animalium omnium maxime ſociabilis: ceterum ſi a voce Græca denominari potuit Homo a concordia, dixerim, id propterea factum; quia vt in Mundo, ſic in Homine mire conſentiunt, & concordant inter ſe omnia penitus entia tam corporea, quam incorporea; quæ nuper enumerauimus: at vereor, ne Latina vox habeat ſuæ denominationis Græcam radicem; quum ipſa vox *Homo* nulla ſit apud Græcos in hac ſignificatione. Igitur, vt ſupra probauimus, Homo quodammodo eſt omnia; & nomen habet, quod in ſe mirifice continet tria Vniuerſi nomina; proindeque maxima reperitur Analogia inter Hominem, & Mundum ratione nominis.

l 1. de gen. an. c. 3.

1. Meta. ſu. 2. c. 2.

m 10. Ethi. c. 7. 8. & 9.

n in Litt. *Homo*.

Mundum, & Hominem conuenire in cauſſa finali. Cap. II.

A Nomine Platonici conſueuerunt aſcendere ad eſſentiam rei; ſed quoniam eſſentia cuiuſque rei pendet, conſtituiturque, ac proinde innoteſcit ex eiuſdem cauſſis; iam opus eſt vt cauſſas vtriuſque Mundi mediteniur. Porro decretis *a* Ariſtotelis, principatum in-

a 1. de part. c. 1.

ter omnes obtinet cauſſa finalis; quæ, vt impellit effe-
ctricem ad rei primam productionem, ita prima eſt in
efficientis intentione, ac in ordine doctrinæ. Profecto
finalis cauſſa Mundi, & Hominis reciprocare videtur;
nam Mundi finis proprius eſt Homo; & Hominis finis
proprius eſt Mundus: communis autem finis vtriuſque,
Mundi, ſcilicet, ac Hominis, vnus eſt Deus. Mundi qui-
dem finis proprius eſt Homo; nam Hominis gratia
a 2. phyſ. t. 24. Mundus conditus eſt; quod & *b* Ariſtoteles non diffi-
tetur, dum ait, Hominem eſſe quodammodo finem om-
nium rerum; nam hæ propter nos ſunt: dum conſti-
b 1. polit. cap. 5. tuit, *c* Naturam facere omnia hominum cauſſa; & dum
d de múd. c. vlt. comparat Vniuerſum *d* Vrbi cuidam magnæ; in qua
Deus lex eſt, in omnem partem ad æquilibrium vergens:
e 1. polit. cap. 2. At vero eidem *e* Magiſtro ciuitates ſunt propter vnum
Hominem factæ, vt in ijs bene viuat. Quare finis Mun-
di eſt Homo. Quam ſententiam non ſolum collaudat
f Geneſ. cap. 7. Gloſſator interlinearis in ſacra *f* pagina, cui, *bos leone
melior, quia homini neceſſarior, propter quem creata ſunt omnia:*
g Ficin. in Symp. cõ. orat. 7. c. 4. ſed etiam apud *g* Platonem Socrates, qui ſe ciuem
mundanum eſſe dicebat. Hominis autem finis proprius
eſt Mundus, quia finis Hominis proprius eſt Vniuerſi
Mundi perfecta cognitio; quum enim ſcientifico in vita
contemplatiua finis vnus ſit obiectum; ac finis vitæ con-
templatricis vna ſit veri cognitio: quum homo naturali
quodam appetitu ducatur ad rerum omnium cognitio-
nem; propterea finis humanæ naturæ eſt totius Mundi
h 2. phyſ. t. 92. certa cognitio. Quin *h* Ariſtoteli forma eſt finis ma-
i 3. de an. t. 5. teriæ; quum autem homo per intellectum, veluti *i* ma-
teria, ſit *k* potentia omnia: iam Hominis proprius, ac
k 3. de an. t. 2. 17. 37. 38. verus finis eſt omne ens, atque adeo Mundus ſub ratio-
ne entis cognoſcibilis: Mundus enim ex omni natura,
tam ſenſibili, quam intelligibili conſtitutus, eſt adæqua-
tum

tum obiectum hominis; qui per ſenſum fit omnia ſenſibilia, & per intellectum omnia intelligibilia; vt *l* edocet Ariſtoteles. Hominis igitur finis eſt Mundi totius cognitio. Verum vnus & idem Deus finis eſt tum Mundi totius, tum etiam Hominis: Mundi quidem, vt ait *m* Ariſtoteles; quia Deus eſt ſummum bonum, ad quod omnia ordinatur, & in quo conſiſtit bonum Vniuerſi; & quia eſt *n* forma totius, quæ ſemper eſt *o* finis ſuæ materiæ: Hominis autem, quia finis hominis præcipuus eſt beatitudo, quæ conſiſtit in contemplatione rerum maxime *p* Diuinarum. Quum itaque finis Mundi, & Hominis adeo connectatur, vt Mundi finis proprius ſit Homo; nam Mundus conditus eſt a natura, vt Hominem conſeruaret, ac tueretur: Hominis vero finis proprius ſit Mundus; quoniam Homo conſtitutus eſt vt Mundum *q* compleret, atque *r* contemplaretur, licet Eccleſiaſtes appellet hanc occupationem peſſimam: id enim malignitatem non ſignificat, ſed laborem; quia contemplatio Mundi eſt hominibus occupatio laborioſa, eo prorſus nomine, quo labor improbus appellatur a *θ* Poëta, non ab vlla malignitate, ſic igitur occupatio peſſima dicitur contemplatio, quæ tamen bona, & optima; quum vita contemplatiua ſit *ſ* finis præcipuus hominis: Vtriuſque vero, Mundi ſcilicet, ac Hominis, finis communis vnus ſit Deus; quia Mundus conditus eſt, vt Deus, qui ſumme bonus eſt, ſe ad extra communicaret: Homo vero creatus eſt, vt Deũ cognoſceret, amaret, poſſideret, eoq; frueretur. Iam mira proportio eſt inter Mundum, & Hominem ratione cauſſæ finalis; vt rectiſſime dicatur Homo eſſe paruus Mundus; & Mũdus viciſſim a *t* Platone definiatur eſſe animal intelligẽs Diuina prouidentia conſtitutũ, quod eſt dicere, Magnus quidã homo; nam homo definitur eſſe animal rationale,

l 3. de an. t.37.38.
m 2. de an. t.35.
12. meta. t.52. & ſequentib.
n 1. meta. c.2.
12. meta. t.49.
o 2. phyſ. t.92.
p 10. Ethic. cap.7. & 8.
q Geneſ. 2.
r Eccleſiaſt. 1.
θ Virg. 1. Georg.
ſ 10. Ethic. c.75.
t in Timæo.

Digitized by Google

Mundi cum Homine mira ſimilitudo perſpicitur in vtriuſque cauſa effectrice. Cap. III.

Qvum finalis cauſſa maximam obtineat connexionem cum cauſſa effectrice; nam finis definitur eſſe bonum, cuius adipiſcendi *a* gratia cauſa efficiens operatur; diciturque adeo eſſe quod primo exiſtens in agentis *b* intentione, ipſum ſaltem *c* metaphorice mouet de otio ad negotium, impellitque ad operandum: propterea poſt cauſſam finalem, in Vniuerſo, & in Homine perſpectam; ad effectricem Magni, & parui Mundi cauſſam conſiderandam aggredi par eſt. Qua quidem in re mirificam habemus Mundi cum Homine cognationem; quum vterque vnam & eandem habeat ſui cauſſam effectricem Deum Optimum Maximum. De Mundo quidem certiſſima res eſt, etiam apud Ariſtotelem; quum enim Magiſter quæſtionem Vtrum Mundus ſit æternus, an non, conſtituat eſſe problema *d* neutrum, ſeu dialecticum; de quo neutro modo, ſeu contrarie opinantur ſapientes; quippe vtrimque ſunt rationes ſuaſibiles; licet ad æternitatem primi Motoris adſtruendam *e* confirmauerit Mundi æternitatem: Vtcumque tamen de Mundi æuo cenſuerit, ſemper Vniuerſi vnam effectricem cauſſam aſſignauit Deum ſummum; etenim ſi Mundum æternum eſſe conſtituit, ille, qui æternorum effectuum æterna *f* principia cognouit, Orbis æterni cauſſam effectricẽ æternã aſſignare potuit; non quidẽ a qua Mundus aliquãdo productus fuerit, quũ antea non eſſet; quoniam hæc origo ſolis competit non æternis; ſed a qua tum ab *g* æterno dependeat in eſſe; tum ſemper in æternum conſeruetur; id enim principium, a quo quid

a 1. phyſ. t. 18.
b 2. phyſ. t. 89.
c 1. de gen. t. 55.
d 1. top. c. 9
e 8. phyſ. t. 1. & ſeqq.
f 8. phyſ. t. 15.
g 1. cœl. t. 100. 12. meta. t. 38.

quid dependet in eſſe, & in conſeruari, ad genus effe-
ctricis cauſæ reducitur; ſi nomine τῶ eſſe, non eſſen-
tiam, ſed exiſtentiam intelligamus; forma enim eſt prin-
cipium *h* eſſentiæ, cauſſa effectrix exiſtentiæ; pater *h* 2. de an.
etenim filio cauſſa eſt vt ſit; anima filij cauſſa eſt filio vt t. 37.
ſit homo. Cęterum in Ariſtotelis doctrina, Mundi,
quem is exiſtimat æternum, cauſſam effectricem eſſe
vnum Deum, multa ſunt quæ ſuadeant aperte: in primis
enim *i* Ariſtoteles a natura Diuina extra cœlum de- *i* 1. cœl.
gēte vitam beatiſſimam, quæ nihil eſt aliud quam Deus, t. 100.
vt *k* alibi late probauimus, ait, pendere rebus omnibus *k* 2. de im.
eſſe, & viuere, his quidem clarius, his autem obſcurius; an. cap. 44.
eſſe nimirum exiſtentiæ, & viuere, quod eſt eſſe *l* eſ- *l* 2. de an.
ſentiæ: ac vt omnium rerum nomine nil niſi Mundum t. 37.
ibi ſignificat *m* Ariſtoteles; ita per cauſſam rebus om- *m* 1. cœl.
nibus eſſe contradiſtinctum ab ipſo viuere tribuentem, t. 100.
non aliud quam effectricem deſignauit: Deus igitur ab
Ariſtotele ponitur cauſa effectrix totius Mundi. Dein-
de vero apud eumdem Ariſtotelem habemus hoc dog-
ma, *n Deus etenim tum cauſſa omnibus eſſe videtur, tum quoddam* *n* 1. meta.
principium: nempe Deus Vniuerſi tum abſolute cauſſa cap. 2.
eſt; nam forma, & finis eſt Orbis totius; tum ſpeciatim
eſt ea cauſſa, cui proprie conuenit eſſe principium ali-
quod; ea vero eſt cauſſa effectrix; nam etſi omnis cauſ-
ſa *o* principium ſit; tamen quæ determinate principium *o* 5. meta.
quoddam eſt, vna effectrix eſt; quæ ſola in ſui *p* defini- t. 1.
tione dicitur eſſe principium; quum etiam *q* forma, *p* 2. phyſ. t. 28.
non in relatione ad materiam, cuius eſt forma, ſed in 5. meta. t. 2.
reſpectu ad operationes, quarum eſt cauſſa effectrix, *q* 2. phyſ.
definiatur eſſe principium aliquod; ſcilicet forma eſt t. 3.
principium effectiuum motus; materia eſt cauſſa ſubie-
ctiua motus; propterea natura, quæ *r* commune quid *r* 2. phyſ.
eſt ad materiam, & ad formam, definitur eſſe principium t. 21.

ali-

aliquod, ratione formæ, & cauſſa motus & quietis, ratione materiæ. Sic igitur ens illud, quod eſt rebus omnibus tum cauſſa, tum principium aliquod, eſt determinate Mundi totius cauſſa efficiens: at Ariſtoteli Deus *ſ* hic videtur eſſe tum cauſſa omnibus, tum principium quoddam: igitur ex Ariſtotele Deus eſt cauſſa efficiens Vniuerſi. Deinceps autem apud eumdem *t* Auctorem laudatur Anaxagoras, & Hermotimus, qui dixit, *Vt in animalibus, ita in natura intellectum ineſſe cauſſam Mundi, totiusque ordinis*: ſed intellectus ineſt ſolum in animalibus rationalibus, quæ ſunt homines *u* Ariſtoteli: & in homine rationalis anima eſt cauſſa triplicis generis, ac potiſſimum *x* efficiens: igitur ex Ariſtotele Diuinus Intellectus eſt cauſa effectrix totius Mundi. Præterea vero cauſſa efficiens Ariſtoteli definitur *y* paſſim eſſe id, vnde principium motus, ac mutationis primum: tale vero principium primum motus & mutationis eidem Doctori nihil aliud eſt, quam *z* natura in materiam & formam *a* diſtributa; & quum certum ſit, ab eo efficiente, vnde materia pendet, formam etiam prouenire; certo certius eſt, Ariſtotelem collaudantem eos, qui dixerunt Diuinum Intellectum eſſe cauſſam mundi, totiuſque ordinis, eo loci alteram Dialectici, ſiue Neutri problematis partem approbare, qua conſtituitur Deus eſſe cauſſa effectrix tum materiæ mundi, tum eiuſdem formæ accidentariæ, quæ in ordine partium conſiſtit: Vt enim animalium anima in eorum conſtitutione partes corporeas efformans, & organizans, cauſſa eſt effectiua mirabilis illius ordinis, quo illæ inuicem diſponuntur ad integritatem totius animalis: ita Deus Ariſtoteli dicitur eſſe cauſſa totius ordinis; quia Mundus, vt *b* alibi docuit, eſt ordo & digeſtio vniuerſorum, quæ a Deo, & per Deum aſſeruantur; & ſpeciatim, quia *c* vetus ſermo eſt, ait,

ſ 1. meta. ſum. 1. c. 2.
t 1. meta. ſu. 2. cap. 2.
u 2. de an. t. 29.
x 2. de an. t. 36. 37.
y 2. phyſ. t. 28. 5. meta. t. 2.
z 2. phyſ. t. 3.
a 2. phyſ. t. 4. & 21.
b de mund. cap. 2.
c de mund. cap. 7. init.

ait, *a maioribus proditus inter omnes homines, Vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata, nullamque naturā ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium ſuæ ipſa demum tutela permiſſa ſit:* Quia d *Dei ſolius auſpicijs perenniter & compoſite præeuntis vniuerſus hic cæli ordo regitur, atque adminiſtratur, numeros omnes concinnitatis habens.* Inſuper e Ariſtoteli Deus eſt tale principium immobile penitus, actu ens, ac neceſſarium, a quo tum cœlum, tum infra cœlum collocata natura elementaria dependet: modo conſtitutum ex cœlo & elementari natura, eſt magnus mundus, ac Vniuerſum: itaque Mundus a Deo pendere dicitur vt a principio, quod eſt ens actu: cęterum tale principium, eſt cauſſa efficiens; tum quia forma operatur, vt actus; materia, vt potentia; finis, vt bonum potentia comparabile; agens ſolum, vt ens actu; nam omne agens agit quatenus eſt f actu: tum quia materia eſt principium, ex g quo res fit, & componitur; forma eſt principium h quo primo res eſt, & operatur; finis eſt id i cuius gratia ſola cauſſa efficiens eſt principium a k quo res fit, & conſeruatur, & gubernatur: igitur Ariſtoteli Deus eſt cauſſa Mundi efficiens. Amplius efficiens cauſſa, ad materialis formaliſque diſcrimen, quæ ſunt partes compoſiti effectus, eſt ſeparata vtcumque ab effectu ſuo; nihil enim l ſeipſum generat: modo Deus m Ariſtoteli dicitur eſſe bonum Vniuerſi ab eo ſeparatum: ergo Deus eidem Philoſopho eſt cauſſa efficiens Vniuerſi. Poſterius apud eumdem n Magiſtrum Deus erga Mundum totum ſe habet, vt Dux erga exercitum; ait enim citatis verbis, *Perſcrutandum autem etiam hoc, quomodo natura Vniuerſi habeat ipſum bonum, & ipſum optimum: Vtrum ſeparatum quiddam, & ipſum, an per ſe, an ipſo ordine; an vtroque modo: quemadmodum exercitus: etenim bene eſſe eius, in ordine, & dux ipſe eſt; ac magis* ip-

d de mund. cap. 7. circa fin.
e 12. meta. t. 38.
f 3. phyſ. t. 17.
g 1. phyſ. t. 65. 82.
h 2. de an. t. 24.
i 1. de gen. t. 55. 2. de an. t. 37.
k 2. phyſ. t. 28.
l 2. de gen. an. c. 1. 2. de an. t. 47. 8. phyſ. t. 60.
m 12. meta. t. 52.
n Ibid.

ipſe: non enim ipſe propter ordinem; verum ordo propter ipſum eſt. At vero Dux eſt cauſſa efficiens, quæ primo exercitum cogit, conſtituitque; conſtitutum, coactumque deinde mouet, atque gubernat: Deus igitur Ariſtoteli cauſſa eſt efficiens Mundi totius. Poſtremo Deus *o* Ariſtotele doctore, ſe habet ad omnia entia, vt Princeps ad ſuos ſubditos: ſed Princeps ad ſubditos ſe habet vt cauſſa mouens, eos gubernans, ac regens, prauos pœnis mulctando, probos præmijs honorando: ſic igitur Ariſtoteli Deus eſt cauſſa efficiens Vniuerſi. Cauſſa, inquam, efficiens Vniuerſi eſt Deus in Ariſtotelis doctrina, Mundi æternitatem inter *p* neutra problemata reponente; tum quia Mundum *q* partitus in cœleſtem, & elementariam regionem, æthercam Vniuerſi partem a *r* ſolo Deo, ſeu conditam ab initio *ſ* temporum, ſeu dependere cenſuit Ariſtoteles ab *t* æterno, ſine vllius peculiaris efficientis miniſterio: ſed partem elementarem aſſidue *u* gigni, & interimi conſtituit a *x* Deo quidem, verum vt a cauſſa communi & remota; quæ *y* gubernat cauſſas ſecundas, & proximas; cum quibus concurrit eminenter *z* cooperans ad omnes effectus producendos. Ita ergo Magiſter nos edocuit, Deum eſſe cauſſam effectricem Vniuerſi. Sed pari plane modo Deum eſſe cauſſam Hominis effectricem nobis comprobat idem Ariſtoteles: In primis enim Homo proprie generatur, & conſtituitur in eſſe per animam *a* rationalem, prout a vegetali, & a ſenſitrice contradiſtinguitur; vt ait Ariſtoteles: cui quum Homo partem animæ ſuæ mortalem a parentibus adipiſcatur interuentu ſeminis, nimirum vegetalem a *b* matre, & ſenſualem a patre quibus cooperatur Deus vt cauſſa omnium prima, ſine qua nulla *c* ſecundarum quicquam efficere poteſt: immortalem tamen partem animæ ſuæ quilibet homo

o 12. meta. t. 56. In ethic. & in polit. paſſim.
p 1. top. c. 9
q 4. meta. t. 23.
r 1. meta. ſu. 2. c. 2. 12. meta. t. 28.
ſ 2. polit. cap. 6. 3. de ger. an. c. 11.
t 1. cœl. t. 100.
u 1. de gen. t. 13. 4. meta. t. 23.
x 2. de ger. t. 59.
y 12. meta. t. 56.
z 1. cœl. t. 32. & 100.
a 2. de ger. an. cap. 3.
b 2. de ger. an. cap. 4.
c 8. phyſ. t. 33.

in ortu ſuo, non a parentibus habet, ſed extrinſecus
d accedentem ſibi *e* aduenam, adeoque a ſummo *f* Deo *d* 2.de gen.
ſibi obtinet impertitam: Quum igitur forma, & anima an.c.3.
cuique compoſito non niſi a ſui cauſſa effectrice proue- *e* 4.de part.
niat: iam ex Ariſtotele, cauſſam hominis effectricem, c.10.
perinde ac Mundi, Deum eſſe dicere debemus. Deinde *f* 3.Rhetor. cap.10.
vero Magiſter idem *g* alibi decernens, Ad phyſicum *g* 2. phyſ.
attinere conſiderationem formæ, prout eſt in materia: t.26.
quod ſi quæ forma ſic eſt in materia, vt ab ea ſit aliquando
ſeparabilis; eius ſeparatæ meditationem non eſſe
phyſicam, ſed ad Metaphyſicum pertinere: dare vero
formas in materia degentes, ab ea ſeparabiles, ex eo
probat ibidem Ariſtoteles, quod Homo hominem generat,
& Sol; nempe quoniam hominem generat tum
homo parens, qui fœtui ſuo tribuit in vtero partem animæ
mortalem, qua communicat cum plantis, & brutis
animalibus: tum etiam Sol, hoc eſt, Deus optimus;
qui fœtui noſtro conciliat animæ partem immortalem;
vt innuit hoc in loco *h* Pſellus; & nos late confirmaui- *h* com.in 2.
mus in opere *i* De Ortu animæ humanæ, ac in volumi- phyſ. t.26.
ne *k* De Immortalitate animæ rationalis. Inſuper hoc *i* lib.1.c.49.
ipſum clare videtur conteſtari Magiſter *l* alibi fere hunc *k* lib. 2. cap.31.32.
locum declarans his notis, *Homo hominem generat, præter* & 33.
hæc item cuncta mouens, tamquam omnium primum. Ad hæc *l* 12.meta. t.24.
apertiſſime comprobat hanc ſententiam Philoſophus
m alio in loco ſcribens, *Quod Deus in anima lumen intellectus* *m* 3.Rhet.
accendit: videlicet, quod Deus, vt Sol incorporeus, in cap.10.
generatione hominis accendit in anima, fœtui a parentibus
indita, mentem, & intellectum; qui *n* lumini pro- *n* 3.de an.
portione reſpondet. Amplius Ariſtoteles *o* aliquan- t.18.
do inter cauſſas hominis effectrices, præter patrem, & *o* 12.meta.
obliquum circulum (*p* quo cum alijs planetis comple- t.26.
ctitur Solem) connumerat etiam Solem, ſcilicet Deum *p* 2.de gen. t.56.

q lib. 2, cap. 41. ſummum; vt fuſe probauimus in opere De q Animorum Immortalitate: quam theoriam non eſt vt hic repetamus. Præterea Philoſophus r aſſerit, a Deo, extra cælum vitam feliciſſimam agente, pendere cunctis rebus eſſe, ac viuere; his quidem clarius, his autem obſcurius: modo quæ a Deo pendent obſcurius, ea ſunt, quorum Deus eſt cauſſa remota; quæ autem ab eo clarius pendere dicuntur, ſunt ea, quæ proxime pendent, ac efficiuntur a ſummo Deo: cæterum nihil inter noſtratia, ſeu inter corpora reperitur, quod a Deo immediate procreetur, niſi Mundus, & Homo quoad animam rationalem: igitur Hominis anima rationalis effectricem ſui cauſſam obtinet Deum optimum de ſententia Magiſtri: quam rationem ſ alibi nos diligenter explicauimus. Vlterius, anima rationalis, qua fœtus fit homo, ad aliarum omnium differentiam, doctore t Ariſtotele, Diuina eſt: ſed quum aliæ animæ Deum habeant ſui cauſſam effectricem remotam; ſola rationalis eſt ideo Diuina; quia pendet a Deo, vt a ſui cauſſa effectrice proxima, & immediata. Quod etiam obſeruauit ſubtilium Princeps ille Scotus, inquiens, *Quia certum fuit Ariſtotelem ſecundum ſua principia poſuiſſe animam intellectiuam eſſe à Deo immediate; & ad hoc attingere poteſt ratio naturalis, quum ſit immortalis: & ita aliquid nouum poteſt immediate eſſe à Deo; & tamen non contradicit ſibi ſecundum ſua principia*. Quin etiam x Ariſtoteles Homerum laudat, qui ſcribit, Iouem, hoc eſt, Deum ſummum, eſſe patrem, adeoque genitorem, cauſſamque effectricem proximam, Hominum, atque Deorum, hoc eſt corporum cæleſtium; quæ ab y Antiquis, & ab ipſo z Ariſtotele, Deorum nomine nuncupabantur. Ita ergo Deus optimus eſt cauſſa efficiens immediata Mundi, & Hominis eadem ratione apud Ariſtotelem; quia vt Mundum ab æterno proxime prouenisse

r 1. cœl. t. 100.

ſ 2. de im. an. cap. 44.

t 2. de gen. an. cap. 3.

u Quol. q. 21.

x 1. polit. cap. 8.

y Plin. l. 2. c. 1.

z 2. cœl. t. 17.

niſſe dependereque a Deo cenſuit Philoſophus; ita tum ſpeciem humanam, tum ſingulos hominum intellectus, animosque rationales ab æterno immediate produci, ac emanaſſe putauit a ſummo Deo; ſed in tempore ſingulis humanis conceptibus organizatis infundi; adeoque ſingulos homines quotidie a Deo procreari, vt ab æterno dudum Vniuerſum produxit, de mente Philoſophi.

Mundo, & Homini conſimilem vtcumque ineſſe cauſſam formalem. Cap. IV.

Effectrici cauſſæ proxima eſt formalis, quę ab illa proxime dependet, ſiue per eductionem e poteſtate materiæ, vt forma omnis caduca, ſiue per creationem, ſiue per ſimplicem emanationem ab agente, vt forma quæuis æterna. Quo nomine cauſſa efficiens generatim *a* definitur eſſe id, vnde primum principium mutationis, & ſtatus; quoniam cauſſa efficiens eſt id, vnde prouenit pendetque forma, quæ eſt primum principium motus & quietis; quum ſit maxime propria præcipuaque *b* natura; quæ definitur eſſe primum principium *c* mutationis, & quietis. Poſt cauſſam effectricem, qua Mundus, & Homo conueniunt, merito nunc vtriuſque forma nobis conſideranda eſt. Porro duplex in quouis compoſito naturali; proindeque in Mundo, & in Homine forma conſiderari poteſt; vna quidem accidentalis; quæ in exteriorem, & interiorem diuiditur; altera vero ſubſtantialis, quæ in formam totius, & in formam partis ſubdiuiditur. Forma Mundi accidentalis exterior, eſt eius figura; interior autem, eſt ordo partium Mundi ad inuicem in relatione ad totum; quæ pulchritudo nuncupatur. Forma vero totius,

a 2. phyſ. t. 29.
b 5. meta. t. 5.
c 2. phyſ. t. 3.

quæ Mundi eſſentia dicitur, inferius aptiori loco, vt & Mundi figura, & pulchritudo, conſiderabitur; nunc forma partis appellata nobis eſt introſpicienda, quæ propriiſſime dicitur forma ſubſtantialis. Mundi ſane forma ſubſtantialis Ariſtoteli eſt anima, eaque intellectiua, & omnino Deus optimus vniuerſo aſſiſtens; vt Philoſophi placita meditantibus manifeſtum fiet: In primis enim

d 2. cœl. t. 13. Ariſtotele *d* doctore Cœlum, & Vniuerſum eſt ani-

e 8. phyſ. t. 29. matum, obtinens in ſe principium ſui motus *e* effectiuum, & animalium proprias differentias poſitionum, ſurſum, deorſum, dextrum, & ſiniſtrum: at eſſentialis forma animantium eſt anima: Mundus ergo habet eam formam eſſentialem, quæ collocatur in animarum ſerie;

f 1. de an. t. 46. Præterea vero ſcribit *f* Ariſtoteles, *Primum igitur non bene eſt dicere animam magnitudinem eſſe: eam enim, quæ Vniuerſi, talem eſſe vult, qualis eſt vocatus intellectus; non enim qualis ſenſitiua eſt, nec qualis deſideratiua, &c.* Deinde vero Magiſter

g 1. meta. ſu. 2. c. 2. *g* ait, Vt in animalibus, ita in tota natura intellectum eſſe cauſſam Mundi, totiusque ordinis: at Ariſtotelis

h 2. de an. t. 36. 37. decretis, *h* omnis anima, proindeque intellectiua in omni corpore animato, eſt cauſſa non ſolum efficiens, & finalis, verum etiam formalis: ergo Mundi forma ſubſtantialis eſt anima intellectiua. Deinceps autem autor

i 2. Alleg. Perip. c. 5. libelli de Mundo, ſiue, vt ego quidem *i* arbitror, is fuerit Ariſtoteles, ſiue Theophraſtus, vt alij crediderunt, aſſeuerat Deum eſſe cauſſam, quæ cunctarum ipſa re-

k lib. de mund. c. 7. rum vim habet tutricem, & *k* continentem; modo cauſſa fouens, & continens materiam vna eſt forma, vt non

l 3. phyſ. t. 67. ſemel docuit *l* Ariſtoteles: Magiſter itaque cenſet Deum eſſe cauſſam formalem Vniuerſi. Poſtea Cæ-

4. cœl. t. 35. 4. phyſ. t. 35. 2. de an. t. 39. lum, ſeu Vniuerſum eſt vnum numero, & ſpecie; quia eius forma, quæ eſt ipſum quod quid erat eſſe primum, eſt actus abſque materia; proindeque vnum numero, &

ſpe-

ſpecie; vt ait *m* Ariſtoteles: ſed primum quod quid erat eſſe, vnum numero, & ſpecie, ſolus eſt Deus optimus: igitur Vniuerſi forma ſubſtantialis Ariſtoteli Deus eſt ipſe ſummus. Inſuper apud eundem *n* Ariſtotelem, principiũ vitæ eſt anima; adeoque *o* forma ſubſtãtialis animati: ſed eidem *p* doctori, principium vitæ primi cœli ad alia corpora animata multum habet exceſſum perfectionis: ergo multo magis principium vitæ totius Mundi maximũ habebit exceſſum perfectionis ad alia corpora viuentia omnia tam cæleſtia, quam ſubcæleſtia: modo tale vitæ principium, maximum habens exceſſum perfectionis eſt ſolus Deus optimus: ergo Deus ex Ariſtotele dicendus eſt forma Vniuerſi, & anima Mundi. Poſterius forma eſt *q* actus, & perfectio, quæ complet id, cuius eſt forma; & in eo eſt cauſſa cunctarum *r* operationum: cæterum Ariſtoteles ait aperte quod *t* Deus compleuit totum, continuam faciens generationem; quę ab eodem Ariſtotele conſtituta eſt eſſe operatio *u* Vniuerſi: Deus igitur Ariſtoteli forma ſubſtantialis eſt Vniuerſi, & anima Mundi: Non poſſum autem hic præterire, quod clariſſimi viri contra Magiſtrum afferunt, cum plurima deſumpſiſſe placita ex Ocello Lucano, nulla illius mentione facta, & inter cætera locum hunc afferunt, in quo Philoſophus ait, *x* *Reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem*: & ſua lingua, τῷ λειπομένῳ τρόπῳ, συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. dicuntque prius hoc ab Ocello ſcriptum fuiſſe verbis ipſiſſimis: quum tamen hic Ariſtoteles agat de generatione vniuerſim ſumpta rerum omnium ortui obnoxiarum; Ocellus autem agat ſpeciatim de generatione prolis humanæ, his notis; *y* *De mutua autem ipſorum hominum generatione, quomodo ſcilicet, & ex quibus recte perfici poſſit, ita ut non modo legitime facta, ſed temperantia, & pietate ſimul operan-*

te

m 12 meta. t. 49.
n 2. de an. t. 37.
o 2. de an. t. 6.
p 2. cœli t. 68
q 2. de an. t. 2. & ſeqq.
r 2. de an. t. 24.
t 2. de gen. t. 59.
u 8. phyſ. t. 46. & ſequentib. & 2. de gen. t. 56.
x 2. de gen. t. 59.
y de vniu. nat. cap. 4

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

te habita eſſe videatur, operæpretium exiſtimo hunc in modum ſtatuere; & primo quidem hoc ipſum cogitare, quod non voluptatis, ſed procreandæ ſobolis cauſſa mulieribus admiſcemur: Siquidem facultates ipſas, inſtrumenta, & appetitus hominibus dedit Deus, non vt voluptate fruantur, ſed vt eorum genus perpetuo duret, ac permaneat: Nam quum fieri non poſſit vt homo ipſe, qui mortalis natus eſt, diuinitatis efficiatur particeps, ſi generis immortalitas abſumatur, in ſingulis ſuppleuit Deus, & generationem hanc infinitam, & continuatam reddidit. Hoc igitur vnum ſpectare in primis oportet, non eſſe concumbendum voluptatis cauſſa. Qua de re ne verbum quidem Ariſtoteles eo loco. Quin & poſtremę huius Ocelli ſententiæ genuina verba plurimum diſſident a verbis Ariſtotelicis nuper allatis, ait enim Lucanus, *καθ᾽ ἕκαστον ἀνεπλήρωσεν ὁ θεὸς, ἀκατάληπτον ποιήσας καὶ συνεχῆ ταύτην γένεσιν.* Sed redeamus ad penſum. Vlterius, bonum per ſe inexiſtens vnicuique rei, eſt eius
z 1. phyſ. t. 81. z forma ſubſtantialis: modo bonum Vniuerſi, per ſe illi inexiſtẽs, maxime Deus eſt, qui Mundo aſſiſtit, vt Dux exercitui, ac Princeps ciuitati; quod monuit a Ariſtote-
a 12. meta. t. 52. & ſequentib. les: Deus igitur eſt anima Mundi, & forma eſſentialis Vniuerſi apud Ariſtotelem. Amplius Mundi pars eſ-
b 2. de an. t. 2. ſentialis præcipua, & princeps, eſt illius forma ſubſtan-
2. phyſ. t. 12 tialis; quum materia cedat b nobilitate ipſi formæ, cu-
c 2. phyſ. t. 92. ius c gratia eſt: at Ariſtoteli Deus eſt mundi pars d pręcipua, & princeps: ergo Deus Magiſtro eſt Mundi for-
d de mund. cap. 7. 12. meta. t. 56. ma ſubſtantialis. Dein Philoſophus aſſerit e Mundum eſſe conſtitutum ex iis, quæ ſunt homine longe Diuiniora: ſed vnus Deus eſt homine quoad animam longe di-
e 6. Ethic. cap. 7. uinior; nam Intelligentiæ ſecundæ proximo gradu rationalem animam ſupergrediuntur: quod & ſacra pagi-
f Apoc. c. 22 Chryſoſt. in ep. ad Hebr. c 1. & 2. hom. 3 na nos docuit, in qua legimus, tum Angelos eſſe f conſeruos hominum; tum, g *Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paullo mi-*
g Pſ. l. 8.

nus

nus ab Angelis; gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Quin Ariſtoteles in eamdem ſententiam infit, *b* Hominem eſſe optimum eorum, quæ ſunt in mundo: Deus igitur eſt anima Mundi, & forma ſubſtantialis aſſiſtens Vniuerſo. Poſthæc, Ariſtotelis *i* decreto, Deus eſt in Vniuerſo, & viciſſim cuncta in illo; atque omnia mouentur ad boni appetitum ab inexiſtente in nobis Numine: modo ſoli formæ ſubſtantiali competit eſſe in ſua *k* materia; & eſſe id, in quo viciſſim ſua materia *l* continetur; & eſſe principium *m* motus in eo, in quo eſt: Deus igitur ex Ariſtotele dicendus eſt eſſe forma ſubſtantialis Vniuerſi, & anima Mundi. Vlterius ait *n* alibi Magiſter, *Non enim eſt idem magna Ciuitas, & populoſa: quin etiam re, & effectu patet; quia difficile eſt, & forſan impoſſibile, vt quæ nimium populoſa ſit Ciuitas, optime gubernetur: earum certe, quæ bene gubernari dicuntur, nullam videmus in populoſam multitudinem eſſe diffuſam: patet etiam ex rationum fide; nam lex ordinatio quædam eſt, & bonam legis poſitionem neceſſarium eſt eſſe bonam ordinationem: at multitudo nimium magna non poteſt recipere ordinationem: Diuinæ enim potentiæ id opus eſſet; quæ & hoc totum continet:* Hisque conſentanea ſcribit * alio in loco dicens, *Quod lex in Ciuitate, hoc Deus eſt in Mundo:* & mox, *Hoc idem de Vrbe maiore, & de hoc inquam, Mundo exiſtimare debemus: Deus enim nobis lex eſt; in omnem illa quidem partem ad æquilibrium vergens, nullam correctionem admittens, nullam varietatem; quippe quæ potior ſit illis legibus, & ſtabilior, quæ in tabulis præſcriptæ ſunt: eius enim auſpicijs perenniter & compoſite præeuntis Vniuerſus hic Cæli ordo regitur, atque adminiſtratur, numeros omnes concinnitatis habens; in omnes ipſe naturas partitus, &c.* Vnde non vna ratio propoſiti deducitur; primo ſiquidem Ariſtoteli Deus *o* continet hoc totum, quod Vniuerſum dicitur: ſed eidem *p* Autori proprium formæ eſt continere materiam: igitur apud eumdem Philoſophum

Deus

b 6. Ethic. cap. 7.
i 7. Eud. cap. 18.
k 2. phyſ. t. 4.
l 3. phyſ. t. 67. 4. phyſ. t. 35. 4. cœl. 35. & 2. de an. t. 39.
m 2. phyſ. t. 3. 2. de an. t. 24.
n 7. polit. cap. 4.
* de mund. cap. 7.
o 7. polit. cap. 4.
p 4. cœl. t. 23. 35. & 2. de an. t. 39.

Deus eſt forma ſubſtantialis Vniuerſi, & anima Mundi. Deinde Magiſtro Deus erga Mundum ſe habet vt lex in Ciuitate: Modo lex eſt anima Ciuitatis, & forma ſubſtantialis Vrbis, optime regens omnes eius partes: ergo Deus Ariſtoteli eſt anima Mundi, & forma ſubſtantialis Vniuerſi. Deinceps proprium formæ ſubſtantialis eſt, perficere totam ſuã materiam, ſingulasque illius particulas bene gubernare: modo Deus *q* Ariſtoteli bene gubernat omnia entia, & vbique locorum eſt in *r* Vniuerſo: Deus igitur apud Ariſtotelicos eſt anima Mundi, & forma ſubſtantialis Vniuerſi. Hanc opinionem ante Ariſtotelem coluit Pythagoras; qui Deum definiens apud *ſ* Lactantium ſcribit, Deum eſſe animum, qui per Vniuerſas Mundi partes, omnemque naturam commeans, atque diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia vitam capiunt. Idem cenſuit *t* Virgilius, cui tum

q 12. meta. t. 56. *r* 1. de part. c. 5. de mund. c. 7. *ſ* 1. de fel. rel. c. 5. *t* Eclog. 3.

——— Iouis omnia plena:

tum, *u Principio cœlum, terras, campoſque liquentes,*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

u 6. Æneid.

tum *x* alibi conſtruitur,

——— Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum;
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

x 4. Georg.

Democritus Abderites, relatu *y* Gyraldi, exiſtimauit Deum eſſe mentem, & Mundi animam. Eiuſdem *z* teſtimonio Marcus Varro Deum ait ſe arbitrari eſſe animam Mundi. Plutarcho referente, *a* Thales aſſeruit Deum eſſe mentem Mundi, adeoque animam Vniuerſi. Sed redeamus ad Ariſtotelem, qui ſtatuit *b* alicubi, Vnumquodque eſſe id, quod in eo eſt ſummum, & melius;

y Decr. Ger. ſyn. 1. *z* ibid. *a* 1. de plac. Phil. cap. 7. *b* 10. Ethic. c. 4. 7. & 8.

lius; proindeque hominem eſſe intellectum; quo nihil eſt in homine *c* præſtantius: profecto dum aſſerit *d* Deum eſſe id quodcumque eſt; qui *e* ſæpe definierat formam ſubſtantialem eſſe rationem eius quod quid erat eſſe; clariſſime docet Deum eſſe Vniuerſi formam, & Mundi animam. Quod aperte ſatis innuitur in ſacra pagina, in qua legitur, *f Spiritum Domini replere orbem terrarum, & omnia continere;* vt notat Gloſſographus: continere namque munus eſt formæ erga materiam *g* Ariſtoteli: cui conſentiens tum Lucanus cecinit,

Iuppiter eſt quodcumque vides, quodcumque mouetur.

tum Mercurius in Aſclepio ſcribit, Deum ſolum eſſe omnia quæcumque reperiuntur. Verum ſubtiliſſime, ac euidentiſſime theoriam hanc profeſſus eſt *h* Ariſtoteles his notis, *Extra autem cælum quod neque eſt, neque contingit eſſe corpus, oſtenſum eſt: Manifeſtum igitur eſt, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus: quapropter neque quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus facit ipſa ſeneſcere, neque vlla transmutatio vllius eorum eſt, quæ ſuper extima diſpoſita ſunt latione; ſed inalterabilia, impaſſibilia, optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam, perſeuerant toto æuo: etenim hoc nomen Diuine enunciatum eſt ab Antiquis: Finis enim, qui continet vitæ vniuſcuiuſque tempus, cuius nihil eſt extra ſecundum naturam æuum vniuſcuiuſque vocatum eſt: ſecundum eamdem autem rationem & totius cæli finis, & finis omne tempus ac infinitatem continens, æuum eſt, ab eo quod ſit ſemper ſumpta denominatione, immortale & Diuinum: Vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obſcurius, eſſe & viuere: Etenim quemadmodum in vulgaribus ſententijs circa diuina ſæpe declaratur rationibus, quod Diuinum ipſum intranſmutabile eſſe neceſſe eſt omne, primum, ac maxime ſummum: quod ſic ſe habens atteſtatur ijs, quæ dicta ſunt: neque enim aliud melius eſt quod moueat: illud enim eſſet vtique diuinius: neque habet prauitatem vllam, neque indigens ſuorum bonorum vllo eſt: & inceſ-*

c 1. de an. t. 82.
d 9. Ethic. cap. 4.
e 2. phyſ. t. 28. 2. poſt. t. 48 5. meta. t. 2
f Sapien. cap. 1.
g 3. phyſ. t. 67. 4. cæl. t. 35.
h 1. cœl. t. 100.

D *ſabili*

ſabili vtique motu mouetur rationabiliter: Omnia enim, quæ mouentur, quieſcunt, quum venerint in proprium locum: eius autem corporis, quod circulariter mouetur, idem eſt locus, vnde incœpit, & in quem finit. Quæ omnia ſic *i* olim nos interpretati fuimus, Quum in opere de Cœlo Magiſter *k* ſcientificam Vniuerſi contemplationem ſibi propoſuiſſet; poſteaquam Mundi materiam explicauit; aggreditur nunc formalem, finalem, & effectricem cauſſam Vniuerſi, quantum Phyſiologo licet, conſiderare; nam *l* alibi præceperat Ariſtoteles, ad cuiuſque rei ſcientiam Phyſico declarandas eſse ſingulas illius cauſsas proximas, formam, finem, effectricem, materiam: Quum autem materia proxima Vniuerſi longe notior ſit, quam forma, finis, & efficiens; ideo poſt materiam cõſiderat alias Mundi cauſſas, quarum theoriam non alibi quam vnico textu hoc vere cœleſti complexus eſt Ariſtoteles, treſdecim attributis innixam; quæ ſingula mirifice noſtrum propoſitum aperiunt: Primum attributum eſt, quod Ariſtoteles de his cauſſis agit numero multitudinis, *m Quæ illic ſunt*, vbi dixerat non eſse locum, neque vacuum, neque tempus, neque corpus: Scaliger *n* arbitratur, Ariſtotelem hic Deum, aliasque a motricibus agnoſcere ſupra cœlum Intelligentias: Nos autem hic a Magiſtro Phyſicum agente non putamus tractari poſse mentes diuinas non motrices, ſed bene Deum ſolum conſiderari poſſe confitemur; nam etſi Deus ſit *o* vnus tum ſpecie, tum numero; quia tamen Deus idem ſimpliciſſimus Ariſtoteli eſt tum *p* forma Vniuerſi, tum *q* bonum ac finis Mundi totius; tum cauſsa efficiẽs, conſeruans, & *r* gubernans omnia mundana cuiuſque generis entia: conſiderata natura Diuina ſub triplici formalitate iſta, de ſummo Deo numero multitudinis loquitur apte nũc Ariſtoteles; quoniam ea attributa, quorum in præſcentia me-

i 2. de an. cap.44.
k 1. cœl. t.1.
l 8. meta. t.12.
m 1. cœl. t.99.100.
n exer.365 ar.5.
o 12.meta. t.49.
p 1. meta. lu.2.c.2.
q 12.meta. t.52 & ſequent.tib.
r 12.meta. t.56.

meminit, conueniunt vni Deo, prout eſt formaliter trinus, forma nempe, finis, & efficiens Vniuerſi; quemadmodum apud Ariſtotelem explicabimus. Et ſane quum Ariſtoteli Mundus ſit *ſ* viuens; ac in viuentium numero *t* animal, & in animalium genere *u* præſtantiſſimum; quod nos fuſe demonſtrauimus in opere *x* De Vita: vt viuens, eam formam habet, quæ *y* anima eſt; quæque cauſſa eſt in triplici modo *z* determinato, forma, finis, & efficiens: vt autem eſt animal præſtantiſſimum, eam obtinet animam, quæ eſt intellectus Diuinus; quod ab Antiquis accipit Ariſtoteles non ſemel, dum ait, *a Quare qui vt in animalibus, ita in Natura intellectum eſſe cauſſam Mundi, totiusq; ordinis dixerat, quaſi ſobrius comparatus ad Antiquiores uana dicentes, apparuit*; & dum inſit, * *Primum enim non bene eſt dicere animam magnitudinem eſſe; eam enim, qua Vniuerſi, talem eſſe vult, qualis eſt vocatus intellectus: non enim qualis ſenſitiua eſt, neque qualis deſideratiua; harum enim motus non circulatio eſt*: & *b* alibi ſtatuit, a Deo compleri totum Mundum; quum formæ proprium ſit complere id, cuius eſt forma: & *c* ab eodem Numine fieri continuam generationem; atq; adeo ſummum Deum eſſe cauſſam effectricem omnium, quæcunque natura gignuntur. Et alio in loco ſcribit, *d* Omnia Diuinum appetere, & illius cauſſa agere, quæcunq; agunt ſecundum naturam; & propterea Deum eſſe cauſſam finalem Vniuerſi, quatenus eſt corpus naturale: quod apertius *e* alibi decernit Ariſtoteles. Quum ergo Deus Ariſtoteli ſit vnus * numero ſecundum ſubſtantiam, ſed officio, & ratione trinus, nempe forma totius Mundi, finis Vniuerſi, & efficiens rerum omnium cauſſa: Quumque Deus trium harum cauſſarum officijs fungens erga Mundum, nulla ratione a materia Mundi dependeat: iccirco dicitur Deus vnicus ſub ratione multarum cauſſarum Vniuerſi *eſſe extra cœlum*. Quo ſecundo attributo

ſ 1. de plant. cap. 1.
t 2. cœl. t. 13. 17.
u 2. cœl. t. 61. 63.
x lib. 2. c. 5.
y 2. de an. t. 4.
z 2. de an. t. 36. 37.
a 1. metaſu. 2. c. 2.
* 1. de an. t. 46.
b 2. de gen. t. 59.
c ibid.
d 2. de an. t. 34.
e 12 meta. t. 49. 52. & ſeqq.
* 12. meta. t. 56.

buto donatur Deus optimus, quia non pendet vlla ratione a cælo, nec in eſſe, nec in operari; licet ei aſſiſtat, omneſque Mundi partes intime perficiat: ſic plane lumen dicitur eſſe aeri extrinſecum, cuius eſt forma aſſiſtens, quoniam ab aere non pendet; quamuis intimas quaſque partes aeris perficiat. Tertium attributum eſt, *Neque nata ſunt in loco eſſe;* quia Deus eſt omnino incorporeus, & a corpore penitus independens, ſiue vt forma, conſideretur, ſiue vt finis, ſiue vt efficiens; quum eſſe in loco per ſe conueniat ſolis corporibus; & per *f* accidens ijs, quæ dependenter quouis modo in corpore ſunt. Quartum eſt, *Neque tempus ipſa facit ſeneſcere.* Deus enim vt forma, finis, & efficiens in Vniuerſo, nec tempori, nec ſenectuti obnoxius eſt; quia nec ipſe, nec vlla eius operatio tempore metitur, aut tempori ſubijcitur; ſed quæ cum agit per ſe ac immediate, illa efficit in momento æternitatis ſupra omnem temporis conditionem. Quintum eſt, *Neque vlla tranſmutatio vllius eorum eſt:* quia Deus nec phyſico, nec metaphorico vllo motu mouetur; ſed ab ipſo omnia, vt ab efficiente, ac forma mouētur motu phyſico, ſaltem ceu a cauſſa remota, & eminenti; ac vt a fine mouētur motu *g* metaphorico: quum Deus nullam ſui cauſſam habeat aut finalem, aut formalem, aut effectricem; a qua vel phyſice, vel metaphorice moueri valeat. Sextum eſt, *Super extima latione diſpoſita eſſe:* quia Deus eſſentia vnus; officio, & ad Vniuerſum relatione trinus *h* Ariſtoteli; quum ſit Mundi forma, finis, & efficiens: forma, quia Mundum *i* animat, & illi ſpecificam, & numericam vnitatem tribuit; omnibuſque Mundi partibus eſſe, ac *k* viuere conciliat: Efficiens, quia non ſolum conſeruat Vniuerſum, quod ab eo *l* dependet; ſed etiam quia eſt primum efficiens omnium operationum vitæ mundanæ, concurrens eminenter cum omnibus cauſ-

f 4. phyſ. t. 23. 43. & ſeqq.

g 2. de gen. t. 31.

h 12. meta. t. 49. 53. 46.

i 1. meta. ſu. 2. c. 2.

k 1. cœl. t. 100.

l 12. meta. t. 38.

cauſſis ſecundis ad operandum; quæ ſine Deo ſibi cooperante *m* nihil agere poſſent: Finis, quia eſt *n* bonum Vniuerſi; & quia omnia in Deum, velut in *o* finem, ſuas operationes dirigunt; & quia cuncta ad vnum Deũ veluti ad vltimum finem *p* collimant: Hæ vero tres formales rationes cauſſarum in Deo erga Vniuerſum ad ſeinuicem ſubordinantur; quia finis eſt *q* vltima cauſſarum in eſſe; forma eſt poſterior efficiente producente, ac viciſſim prior eodem conſeruante; quippe conſeruatur vbique quod eſt; eſt autem vnumquodque per *r* formam; quæ eſt ratio eius quod quid erat *ſ* eſſe; ac omnino tribuens *t* eſſe rei: Deus ergo primo eſt efficiens, vnde Mundus *u* emanauit; deinde vero eſt forma, per quam Mundus in ſuo eſſe *x* ſpecifico, & eſſentiali conſtituitur; deinceps eſt efficiens tum Mundum aſſidue cõſeruans in eſſe; tum Mundi cunctas operationes promouens; tum entia cuncta *y* gubernans: demum eſt finis, cuius gratia Mundus totus eſt, & ſingulæ illius partes, ac res agunt quodcumque ſecundum *z* naturam ſuam operantur. Sic ergo cauſſæ Vniuerſi formam complentes in vno Deo extra Mundum, ſupra extimam cæli lationem inuicem diſpoſitæ, ac ſubordinatæ ſunt: Qui ordo *a* Mundo eſſentialis apte ſtatuitur Mundi forma; non autem ordo partium integrantium Mundum: ſi enim hic ordo partium integralium ordinans accipiatur, accidens eſt, quod eſſentiam ſubſtantiæ complere minime poteſt: ſin autem ſumatur ordo corporum ordinatus, hic materia eſt Vniuerſi proxima, non Mundi forma: ſed veluti partes animæ in vnam humanam animam ſubordinatæ conſtituunt formam hominis; vtque Præfecti omnes militum in vnum Ducem ſubordinati ſunt forma totius exercitus; cuius forma non eſt accidentarius ordo legionum millies eodem in exercitu mutabi-

m 8. phyſ. t. 33.
n 12. meta. t. 52. 53.
o 2. de an. t. 34.
p 12. meta. t. 53.
q 2. phyſ. t. 23.
r 2. de an. t. 36.
ſ 2. phyſ. t. 28.
t 2. de an. t. 36. 37.
u 12. meta. t. 38.
x 12. meta. t. 49.
y 12. meta. t. 52. 53. 56
z 2. de an. t. 34. 35.
a 12. meta. t. 51.

lis: Ita in vno Deo ſubordinatæ rationes, ac formalitates efficientis, formalis, ac finalis cauſſę erga Vniuerſum ſunt forma Mundi, & omnino Deus ipſe. Septimum attributum eſt, *Sed inalterabilia*; ſunt iſta tria cauſſarum genera Mundi formam conſtituentia nullius qualitatis peregrinæ ſuſceptibilia; quod attributum inalterabilitatis eminentiſſime, ac proprie ſoli Deo conuenit, vt eſt forma, efficiens, & finis omnium rerum in vnam Mundi naturam & molem conſpirantium. Octauum eſt, *Et impaſſibilia* eſſe tria hæc genera cauſſarum in Deo, Mundi naturam perfectiorem, hoc eſt formam Vniuerſi complectentia; quod itidem conuenit ſoli Deo ſub ratione formæ, finis, & effectricis cauſſæ totius Mundi; quippe quũ

b 2. de an. t. 57. paſſio gemina ſit *b* Ariſtoteli, corruptiua, & perfectiua; vtraque hac priuatur Deus, qui perfectiſſimus quum ſit, vlterius perfici non poteſt. Nonum eſt, *Optimam habentia vitam* eſſe, tria illa formalia principia in Deo, nempe finis, efficiens, & forma Vniuerſi: quod ſoli Deo competit; quo nihil abſolute melius quum inueniatur; vere op-

c 12. metã. t. 39. timum viuens eſt; vt ait *c* alibi Magiſter. Decimum eſt, *Et per ſe ſufficientiſſimam* vitam habere, quæ continent in ſe rationem cauſſæ formalis, effectricis, & finalis Vniuerſi; quod item ſoli Deo competit; nam alia cuncta ſibi non ſufficiunt; ſed indigent omnia, & ſingula Deo conſeruatore, atque gubernatore; vt exercitus Duce; quod &

d 12. meta. t. 52. 56. alio loco docet *d* Ariſtoteles. Vndecimum eſt, *Perſeuerant toto æuo* cauſæ Mundi finalis, efficiens, & formalis

e 8. phyſ. t. 10. Ariſtoteli; cui tempus *e* ſemper eſt, initio & fine carens, idem re ſunt æuum, tempus, æternitas; quæ a noſtratibus diſtinguuntur, ponentibus tempus eſſe menſuram finitam motus non æterni; æuum eſſe menſuram terminatam Intelligentiarum non vtrinq; perpetuarum; ęternitatem vero eſſe infinitam menſuram, & indiuiſibilem

Dei

Digitized by Google

Dei ſummi perpetui, & impartibilis, ſuarumque operationum itidem perpetuarum, & indiuiſibilium: ſed Ariſtoteli penitus idem eſt perſeuerare toto æuo, & durare per vniuerſam æternitatem: reddit autem Ariſtoteles rationem propoſiti attributi, quo dicitur Deus eſse forma, finis, & efficiens in Vniuerſo perſeuerans toto æuo; quoniam *hoc nomen* totius Aeui *ab Antiquis enunciatum eſt diuine*, hoc eſt, pronunciatum eſt ad ſignificandam Diuinorum ſempiternitatem; quia terminus, qui vt menſura continet tempus vitæ vniuſcuiuſque integræ ſecundum ſui naturam, appellatus eſt æuum vniuſcuiuſque; vt menſura, non vnius tantum hominis, ſed vniuſcuiuſque, nempe ſingulorum ſibi inuicem ſuccedentium ab æterno in æternum, cuius nihil extra eſſe poteſt, nempe menſura durationis ſingulorum hominum, nullo excepto, æuum eſt: conſimiliter cæli totius terminus, omnem cæli durationem continens, nimirum menſura vitæ cæleſtis, quæ menſura continet omne tempus, & infinitatem durationis, æuum eſt: quod quidem æuum abſolutè denominatur ab eo, quod ſemper eſt, immortale, ac diuinum: cuius rationis abditiſſimæ germana ea eſt explicatio ex Ariſtotele; cui *f* omnia quæcumque agunt ſecundum naturam, agunt vt pro modo naturæ ſuæ Diuinitatem conſequantur; Deus enim eſt *g* finis omnium; conſequuntur autem hanc Dei ſimilitudinem ſeſe conſeruando ſemper, ſi non in indiuiduo, ſaltem in ſpecie: Deo namque ſempiterno cuncta fieri ſtudent ſimilia in æternitate; atque ipſum ſemper eſſe in Deo eſt ipſamet eſſentia Dei, vt ait *h* Ariſtoteles; in alijs autem eſt diuinitas *i* participata: Si ergo perſeuerantia toto æuo, ac vita perpetua, & eſſe ſemper, in rebus alijs à Deo eſt per participationem Diuinitatis, de conſenſu omnium Antiquorum rectè putarunt Deo ſimilius eſſe cælum, quod

f 2. de an. t. 34. 35.

g 12. meta. t. 52. 53.

h 12. meta. t. 39.

i 2. de an. t. 34. 35.

toto æuo per omne tẽpus in indiuiduo perſeuerat idem numero viuens immortale, quam corpus quodlibet ſub-
k 4.meta. t.23. cæleſte; quod in indiuiduo *k* caducum, fieri poteſt æter-
l 1.cæl.t. 13. num in ſpecie *l* ſolum; plane conſtat, ſummi Dei propriiſſimum eſſe attributum perſeuerare toto æuo; quum Deo cætera ſimilia reddantur in participatione huius æternitatis; quam pro modo naturæ ſuæ ſingula deſiderant, & conſequi nituntur. Duodecimum attributum eſt, *Vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obſcurius,*
m 12.meta. t.49. *eſſe & viuere*: quod ſoli Deo conuenit; a *m* quo, vt a forma, fine, ac efficiente in Vniuerſo rebus omnibus pendet eſſe, & viuere; quia rerum aliæ ſunt animatæ, aliæ inanimatæ; animatis conuenit viuere; inanimatis eſſe infra vitam: diſſimiliter autem a Deo pendet rebus eſſe, & viuere; nam obſcurius ea pendent à Deo, quæ prodeunt ab ipſo vt a cauſſa communi & remota conſeruante gubernanteque proximas: at exactius ijs pendet eſſe, ac viuere a Deo, quæcumque ab ipſo pendẽt immediate, vt a ſui cauſſa proxima. Decimumtertium, ac poſtremum attributum, quia dependet ex quinto, quo dixerat, Ea quæ ſunt extra cælum in eſſentia Diuina, Mundi formam, finem, & effectricem rerum omnium cauſſam continentia, eſſe intranſmutabilia; id ipſum duplici comprobat argumento priuſquam ex eo deducat vltimum attributum; primum argumentum eſt, quia in ſententijs, quæ quotannis ad Populum iuſſu Magiſtratuum habebantur a Sapientibus viris de Diuina eſſentia, ſæpe declaratur rationibus, neceſſarium eſſe omne Diuinum primum, ac maxime ſummum, Deum ſcilicet, vt primum efficiens, prima forma Vniuerſi, & maxime ſummus omnium finis, habere naturam intranſmutabilem omnino: quæ rationes ad Populum habitæ atteſtantur ijs, quæ dicta ſunt in quinto attributo. Aliud argumentum eſt,

quia

quia omne quod mouetur, vel ab alio mouetur, vel a ſeipſo; & neceſſario in eum finem, vel vt a ſe excutiat aliquod prauum, vel vt acquirat ſibi aliquod bonum, cuius indigeat: modo Deus non poteſt ab alio moueri; nec habet in ſe prauitatem, quam motu a ſe depellat; nec indigus eſt vllius boni, ad quod acquirendum moueatur: ergo Vniuerſi forma, finis, & efficiens in Deo ſunt intranſmutabilia: non poteſt autem Deus ab alio moueri; quia omne mouens eſt *n* melius, & diuinius eo, quod mouetur; neque agens patiente, quod ab eo ſuſcipit perfectionem: ſed Deo nihil melius, ac diuinius eſſe poteſt: ergo Deus non poteſt ab vllo alio moueri. Hinc proponit Ariſtoteles vltimum attributum his notis, *Et inceſſabili vtique motu mouetur rationabiliter;* nempe Deus ille, vnde rebus omnibus pendet eſſe, ac viuere, eſt etiam ille vnde inceſſabili motu mouetur rationabiliter, nempe vnde oritur motus inceſſabilis, tum velut a fine, cui vt aſſimilentur Intelligentiæ ſecundæ cælis aſſiſtentes in gubernatione Mundi ſubcæleſtis, orbitas illas voluunt aſſidue: tum velut ab efficiente in moto, & communiſſimo, cum omnibus cauſſis ſecundis ad ſingulas earum operationes obeundas, & ad cunctos eorumdem effectus producendos concurrente. Probat autem hoc attributum hic Ariſtoteles, quia forma Vniuerſi mouere debet Mũdi partes motu ipſis ſecundum naturam conueniente: ſed corporis, quod circulariter mouetur, motus ſecundum naturam eſt inceſſabilis: ergo forma Vniuerſi eſt id, vnde mouetur cælum motu inceſſabili. Minor eſt euidens, eo quod vnumquodque compoſitum a forma ſua motum adipiſcitur non niſi *p* naturalem; quum motus præter naturam ſit ab externo agente, non formæ, ſed contrarij rationem obtinente. Maior ab Ariſtotele demonſtratur eo quia, omnia quæcumque mouentur, quieſcunt

n 3. de an. t. 19.

p 8. phyſ. t. 27. & 1 cal. t. 1. 6. 7.

E ſcunt

ſcunt non niſi quum venerint in proprium locum, ad quem ſecundum naturam eo motu contendunt: ſed eius corporis, quod circulo mouetur, idem locus eſt, vnde incæpit moueri, & in quem finit: ergo corporis circulo mobilis finis vnius circulationis eſt ſemper initium alterius; & ideo motus eius eſt inceſſabilis. Ita ergo conſtat Deum eſſe in Mundo ſub ratione formæ primæ, finis vltimi, & efficientis ſummi; quæ tria nata ſunt eſſe extra cælum, quum a Mundo non dependeant; non eſſe in loco, quum ſint penitus incorporea; non eſſe tempori, vel ſenectuti obnoxia; eſſe penitus intranſmutabilia; ſuper extima latione diſpoſita, hoc eſt inuicem formaliter ſubordinata ſupra omnem materiæ conditionem; inalterabilia; impaſſibilia; optimam habentia vitam; & ſufficientiſſimam; perſeuerantia toto æuo; vnde pendet alijs eſſe, & viuere, his quidem exactius, hoc eſt immediate, his autem obſcurius, nempe mediante cauſſa propinquiori; & vnde prouenit motus inceſſabilis: Quæ attributa mira quadam analogia reperiuntur in anima Hominis; hæc enim in homine reperitur ſub triplici formalitate; forma conſtituens in eſſe hominem; finis, cuius gratia inſtituta ſunt a natura ſingula membra corporis humani, ei velut inſtrumenta deſeruientia ad operandum; & efficiens omnium operationum humanarum; vt perſpicue lateque demonſtrat *q* Ariſtoteles: quæ anima humana, potiſſimum quoad partem rationalem, dicitur eſſe extra cælum, quoniam a cælo minime dependet: non eſſe in loco *r* per ſe, quia eſt incorporea; non eſſe tempori, ac ſenectuti ſubdita; quia vt ait *ſ* Ariſtoteles; cui *ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo*: eſſe intranſmutabilis; quia eſt *t* immobilis: eſſe diſpoſita ſuper extima latione, quia ſupra omnem animam aliam conſiderata eſt hominis finis, forma, & efficiens: eſſe inalterabilis,

q 2. de an. t. 36. 37.
r 4. phyſ. t. 45.
ſ 1. de an. t. 65.
t 1. de an. t. 64. 65. 66. 67. & ſeqq.

rabilis, quia non pertingunt ad eam *u* ebrietates, ac *u* 1. de an.
morbi: eſſe impaſſibilis, vt ait *x* Ariſtoteles, quia eſt in- t.65. *x* 1. de an.
corruptibilis: optimam habere vitam, tum in corpore, t.66.
quia homo per animam eſt optimum quid ac Deo ſimil-
limum, *y* Ariſtotele doctore: tum extra corpus, quia *y* 6. Eth c.7
eſt *z* felix: ſufficientiſſimam obtinere vitam, tum extra 10. Ethic. c.8.
a corpus; tum in *b* corpore; quia intellectus ad con- *z* 1. Ethic.
templatiuam vitam nullius indigere videtur: perſeue- 11.
rans *c* toto æuo, quia eſt immortalis: vnde pendet alijs 12. meta. t.51.
eſſe & viuere; quia quum anima ſit finis *d* hominis, & *a* ibid.
homo finis rerum aliarum *e* omnium; iam res aliæ om- *b* 10. ethic.
nes dependent vtcumque ab anima humana, velut a c.7. *c* 12. meta.
cauſsa finali: & vnde prouenit motus inceſsabilis, ſal- t.5.
tem *f* metaphoricus; quoniam finis mouet metaphori- *d* 2. de an.
ce; quare anima vt finis omnium, motu inceſsabili mo- t.36.37. *e* 2. phyſ.
uet omnia. Cæterum aliam analogiam inter formam t.23.
Vniuerſi, & formam hominis meditari poſset Phyſi- *f* 1. de gen. t.55.
co-Theologus, ſeu Hierophyſicus; quia quum Deus ſit
Vniuerſi cauſſa tum efficiens, tum formalis, tum etiam
finalis; quæ tres formalitates vni Diuinę ſubſtantiæ con-
gruentes, optime referre videntur tres in Diuina eſſen-
tia perſonas; etenim ratio cauſsæ efficientis potentiam
actiuam deſignat, quæ Patris eſt proprium attributum,
qui Creator omnipotens Cæli, ac terræ colitur; rerum-
que aliarum omnium viſibilium, & inuiſibilium: Ratio
formæ, quæ ab effectrice cauſsa producitur, aptiſſime
Verbo conuenit, qui Filius eſt a Patre genitus, & ſpecio-
ſus forma præ filis hominum a *g* Propheta celebratur: *g* Pſal.44.
Ratio demum cauſsæ finalis, quæ conſiſtit in vltimo *h* *h* 2. phyſ.
bono, recte Spiritui Sancto tribuitur, qui mutuus eſt t.23.
Amor Patris, & Filij, ac terminus vltimus Diuinarum
productionum, proceſſionumve, Bonitatem habens pro
ſuo proprio attributo. Sic igitur ex Ariſtotele Mundi

forma ſubſtantialis eſt Deus optimus, qui eiuſdem Vni-
i cap. 2. uerſi *i* dudum in Peripato confirmatus eſt etiam eſſe
k cap. 3. cauſſa finalis,& *k* efficiens. In hac autem cauſſa formali non minus fere quam in finali,& effectrice, mirabilis eſt conſenſus Hominis cum Mundo; nam Hominis forma ſubſtantialis,quæ anima eſt, bifariam ſpectari poteſt, ad mentem Ariſtotelis; nimirum, tum tota anima humana, ex vegetali, ſenſitrice, ac rationali coagmentata; quæ conſtituit Hominem eſſe vegetatiuum animal rationale: tum animæ humanæ pars potior, quæ rationalis appellatur,& Hominem proprie conſtituit,vt quid a vegetabilibus,& ab animali natura ratione diſtinctum; quod
l 2. de gen. an. cap. 3. & 4. monuit *l* Ariſtoteles, dum aſſeruit fætum in vtero matris primo eſſe viuens per animam vegetalem, deinde fieri animal per adeptionem animæ ſenſitricis, ac demum fieri Hominem per ſuſceptionem rationalis: Vtcumque de forma ſubſtantiali Hominis agamus, analogia ſumma refulgebit inter Hominem, & Mundum: ſi enim Mundi anima Deus eſt vnus eſſentia Trinitate perſonarum adorandus; conſimilem Vnitatem, ac Trinitatem in anima Hominis aſpicere poterimus: ac primum quidem in tota anima humana; quæ vna ſubſtantia eſt,vnaque natura,& eſſentia totius Hominis; in qua tamen tres partes eſſentiales, veluti tres perſonæ conſiſtunt;vegetalis anima,ſenſitrix, & rationalis; quarum vegetalis apte Deum Patrem æmulatur,qui eſt prima perſona Trinitatis; cuius proprium eſt, tum generare Filium ſibi ſimilem, tum producere Mundum ſibi ſi-
m 3. de cō-ſol. met. 9 milem; vt ait *m* Boethius,

O qui perpetua Mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri.
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſſæ

Ma-

Materiæ fluitantis opus; verum inſita ſummi
Forma boni, liuore carens; tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo; pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans,
Perfectasque iubens perfectum abſoluere partes.

nam *n* Ariſtoteles definit animam vegetalem eſſe primam natura omnium animarum in nobis; & eius propriam functionem eſſe generare prolem ſibi ſimilem, & partium *o* Mundum: Senſitrix anima, cuius operatio eſt pati apud *p* Ariſtotelem, repræſentat optime perſonam Verbi, quæ carnis aſſumptione facta eſt ſenſibilis; & humani generis redemptionem molita eſt, paſſionem ſuſtinendo: Rationalis anima, *q* vltima nuncupata, & *r* aduena, cuius duæ ſunt præcipuæ facultates, & ab ijs prodeuntes geminæ functiones; intellectus nimirum, ad quem pertinet cognitio veritatis; & voluntas, ad quam attinet amor bonitatis; rationalis inquam anima refert intime perſonam Sancti Spiritus, qui vltimus eſt ordine naturæ in Sacra Triade productus, *ſ* adueniens Eccleſiæ; ad quem ſpectat cum erudire, ac edocere *t* omnem veritatem; tum amorem diuinum, qui ſumma bonitas eſt, conciliare. Deinde vero ſi præcipuam animæ noſtræ partem inſpiciamus, næ repræſentat, & ipſa maxime Diuinam eſſentiam vnicam Trinitate perſonarum colendam; nam vt Deus vnam habet naturam ſimpliciſſimam, tribus perſonis ineffabiliter diſtinctam, Patre, Verbo, & Spiritu Sancto: ſic anima rationalis vnicam obtinet eſſentiam ſimplicem; quam indiuiſibilem in plures naturas reali diſtinctione ſecretas nos docuit Ariſtoteles, dum eam nuncupauit *u* μόριον τῆς ψυχῆς, particulam animæ, vltimam *x* & minimam; quoniam eſt ſpecies ſpecialiſſima, indiuidua, & atoma; tribus facultatibus inuicem ratione diſtinctis mirifice pollens; Intellectu ſcilicet

n 2. de an. t. 34.
o 8. phyſ. t. 17.
p 2. de an. t. 51. & ſequentib.
q 2. de an. t. 32.
r 2. de gen. an. cap. 3.
r 2. de gen. an. cap. 4.
ſ Act. Apoſt. c. 2.
t ibid.
u 3. de an. t. 1.
x 2. de an. t. 32.
2. de gen. an. c. 3.

licet agente nuncupato, Mente poſſibili, & Voluntate; quarum facultatum Intellectus agens, qui definitus eſt ab *y* Ariſtotele omnia faciens, apte repręſentat in Diuina Triade Patrem Omnipotentem, quem rerum omnium *z* factorem veneramur: Intellectus poſſibilis, qui ab eodem Philoſopho definitus eſt omnia *a* fieri; & *b* paſſiuus, ac *c* impaſſibilis paſſim appellatur, *d* ſuſceptiuus Formarum, & *e* ſcientia; congruenter nobis refert Verbum Diuinum, qui Filius eſt ſummi Dei, ſecus ac Apoſtolus *f* omnia factus, quia *g* Homo factus eſt; *h* paſſibilis ſecundum carnem, *i* impaſſibilis quoad naturam Diuinam; qui *l* ſuſcepit formam ſerui, & eſt ſcientia Patris, ſeu is in quo ſunt abſconditi *m* theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei. Voluntas demum, ad quam pertinet Bonitas, & Amor, optime redolet tertiam perſonam Diuinam, quæ Spiritus Sanctus appellata, mutuus eſt Amor ſpiratus a Patre, & Filio, & ſumma Dei bonitas, bonorum omnium nobis large communicatrix. Mira eſt igitur analogia inter animam Mundi, & animam Hominis; eo etiam nomine, quo vtramque perpetuam cenſuit Ariſtoteles; licet illam formam *n* aſſiſtentem Mundo cognouerit, hanc formam *o* informantem Hominem conſtituerit; quæ varietas analogiam non tollit, ſi deſtruit identitatem; nam idem Ariſtoteles intellectum humanum aſſerit eſſe rem optimam, Deo maxime *p* cognatam; eſt autem Deus anima Mundi forma aſſiſtens, non quidem ſoli vltimæ ſphæræ cæleſti, ſed toti Mundo, & ſingulis eius partibus; quo nomine Philoſophus *q* aſſerit, primum ens, & Deum optimum, quod eſt principium formale totius entis, eſſe penitus immobile, tum per ſe, tum per accidens; quo manente neceſſe eſt & omne manere, continuum exiſtens ad principium; nempe ideo Mundus, ac Vniuerſum ſecundum ſe totum ma-

y 3. de an. t. 18.
z Symb. Apoſt.
a 3. de an. t. 18.
b 3. de an. t. 2.
c 3. de an. t. 3. 7. 12.
d 3. de an. t. 3.
e 3. de an. t. 15.
f 1. Cor. c. 9
g Ioan. c. 1. & Symb. Apoſt.
h Symb. Apoſt.
i ibid.
l Paul. ad Phil. c. 2.
m ad Roman. 11.
n 8. phyſ. c. 3. & ſequētib. 29. & ſeqq.
o 1. de an. t. 61.
p 10. ethic. cap. 8.
q 8. phyſ. t. 52.

Digitized by Google

manet, nec mouetur vllo modo, nec per ſe, nec per accidens; quia forma illius ſubſtantialis, quæ aſſiſtit illi immediate ac intime, vt eidem continua dicatur, eſt immobilis: Anima vero rationalis, & humana, pariter informat totum hominem, cui coextenſa eſt, non vnam tantummodo partem; quod & nos in Opere de *r* Animarum Coextenſione corpori probauimus; & oſtendit ante nos clare *ſ* Magiſter; apud quem tum difficile eſt, vel fingere quam partem corporis, aut quomodo contineat intellectus; tum etiam anima noſtra per ſe eſt omnino immobilis; licet moueatur per *t* accidens ad motum corporis, in quo eſt; nam motis nobis, *u* mouentur omnia quæ ſunt in nobis. Præterea Deus vt anima Mundi per ſe inadſpectabilis, cernitur ex operibus: non alia ratione anima noſtra per ſe inuiſibilis, noſcitur ex ſuis operationibus: quam proportionem mire deſcribit nobis Ariſtoteles agẽs de Deo prout eſt anima Mundi, his notis, *x Eodem nos & ipſos modo cenſere conuenit de Vniuerſo: quum enim ab vna vi impultrice cieantur omnia, fit vtique quod cuique commodum eſt, & conueniens: nec vero ſi ea vis ipſa, nec cerni ab hominibus, nec apparere poteſt quoquopacto id obſtat; aut illi ad ea, quæ diximus agenda, aut nobis ad fidem hiſce rebus accommodandam: Nam & anima ipſa, qua viuimus, qua Vrbes, qua domos habitamus, quum haudquaquam ſub aſpectum noſtrum ſita ſit, operibus tamen ipſa videtur.* Admirabilis eſt igitur analogia Mundi, & Hominis quoad vtriuſque formam eſſentialem, & Animam.

r lib. 1. cap. 27. & ſeqq. & lib. 2. cap. 2. & ſeqq.
ſ 1. de an t. 92.
t 1. de ad. t. 61.
u 2. top. cap. 3.
x de mũd. c. 7.

Mundi, & Hominis analogia conſideratur in vtriuſque cauſſa materiali. Cap. V.

FOrmam in ordine doctrinæ ſtatim conſequitur conſideranda materia; nam hæc ad illam obtinet eſſentialem habitudinem; ac tranſcendentalem relationem;

vt

vt ait *a* Ariſtoteles. Quinimmo materia merito poſtrema eſt inter cauſſas cognoſcenda; quia carens actu; qui ratio ſingulis eſt *b* intelligendi; conſtitutaque per potentiam; quæ rebus cauſſa eſt *c* occultationis, & ignorantiæ; difficillime *d* cognoſcitur; adeoque in ordine doctrinæ, quem auſpicatur Ariſtoteles a *e* notioribus nobis, facilioribusque *f* cognitu, cæteris eſt poſtponenda. Porro materia quum ſit apud Ariſtotelem *g* principium ex quo materialia cuncta ſunt & facta ſunt; apte diuiditur in materiam generationis, & conſtitutionis, ſeu compoſitionis. Mundus *h* Ariſtoteli bipartito ſumitur in cæleſtem, & elementarem regionem diuiſus; Cælo, quod æternum, & vndequaque perpetuum credidit Magiſter, immune ab omni *i* generatione, & corruptione, ſolam aſſignauit materiam compoſitionis, & *k* conſtitutionis: Mundo autem elementari materiam tum generationis, tum etiam conſtitutionis ineſſe cognouit; quam ſubdiuiſit in *l* primam, & *m* ſecundam appellatam. Homo ſimiliter ab eodem *n* Ariſtotele tum ſecundum totam ſpeciem, tum in indiuiduo conſideratur: ac vt Homo ſecundum ſpeciem Ariſtoteli cenſetur æternus, carens materia *o* generationis, obtinens in ſe ſolam materiam conſtitutionis, materiæ mundanæ mire *p* proportionatam; vt clare conſtat ex Ariſtotele: ita quilibet homo in indiuiduo habet materiam tum generationis, tum etiam conſtitutionis; quæ pariter in primam, & in ſecundam diuiditur. Apud ſacram paginam Mundus item caret materia generationis; quē legimus ex nihilo *q* creatum; obtinet autem materiam conſtitutionis; quæ conſimiliter in primam, & in ſecundam; ſeu in remotam, & proximam partitur. Age ſeorſum ſingulam inſpiciamus, & vtramque comparemus adinuicem. Mundi totius materiam dicit *r* Ariſtoteles eſſe

a 2. phyſ. t. 26.
b 5. meta. t. 20.
c 3. phyſ. t. 15. 8. phyſ. t. 32.
d 9. meta. t. 35.
e 1. phyſ. t. 2.
f 1. Ethic. cap. 4.
g 1. phyſ. t. 55.
h 4. meta. t. 23.
i 1. cœl. t. 20. & ſeqq.
k 1. cæl. t. 93. & ſequentib.
l 1. phyſ. t. 82.
m 2. phyſ. t. 26.
n 2. de an. t. 35. Porphy. c. de ſpec.
o 1. de gen. t. 40. 7. meta. t. 53. 12. meta. t. 18.
p 1. cæl. t. 94.
q Geneſ. 1.
r 1. cæl. t. 95.

Vniuerſum corpus ſenſibile; quod in tria *ſ* elementa di- *ſ 1. cæl. t. 91.*
uiditur; grauia, leuia, & neutra corpora; quorum grauia
ſunt terra, aqua, & *t* aer; leue corpus eſt elementum *t 4. cæl. t. 39. & ſeqq.*
ignis; neutra corpora ſunt cæleſtes orbitæ; quæ quidem
corpora ſimplicia certo quodam ordine inuicem collo-
cata, Mundi partes integrales, veluti materia ſecunda,
& proxima Mundi molem vniuerſam conſtituunt, atque
componunt; dum terra, & aqua, & aer Mundi centrum,
& infimum locum poſſident, vtcumque ibi natura ſua
quieſcentes; ignis in ſublimi ſuper aerem ſub cælo me-
dius natura quieturus, niſi *u* violenter in gyrum circa *u 1. cæl. t. 15.*
centrum vniuerſi a cælo rotaretur, & contiguam ſibi ſu-
premam aeris regionem circum duceret; ac cęleſtia cor-
pora totum elementarem Mundum lumine fouent, cor-
pulentia ambiunt, & continent. Quam Ariſtotelis do-
ctrinam tantum non confirmant ſacræ litteræ; in quibus
habemus, *x In principio creauit Deus cælum, & terram; terra* *x Geneſ. 1.*
autem erat inanis, & vacua; & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi;
& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: cuius ſententiæ ſen-
ſus litteralis eſt, quod *Deus*, veluti totius Mundi cauſſa
efficiens, *in principio* totius temporis *creauit* ex nihilo
cælum omne corporeum, ab elementari ſubſtantia di-
ſtinctum; & *terram* elementarem, ſimplicem, *inanem*
a plantis, & *vacuam* ab animalibus; tamquam duo ex-
trema; quæ connotant implicite tria intermedia corpo-
ra, ignem, aerem, & aquam; de quibus meminit Moſes;
aquas aſſerens, ſuper quas ferebatur ſpiritus Domini:
Tenebrarum nomine ſignificans aeris elementum; vt
ex Diuo Baſilio, & alijs Sanctis teſtatur Magnus *y* Al- *y de quatuor coæu. q. 12. ar. 1*
bertus: & Abyſſi vocabulo ignem deſcribens, quod ele-
mentum ob ſui tenuitatem, raritatemque ſummam, flu-
xile, obque ſui altiſſimam profunditatem apte nuncu-
patur abyſſus; ſuper cuius faciem, aſpicientem anima-

Digitized by Google

lia, & plantas, hominemque in centro Mundi a ſummo Deo nuper productum, nōdum creata luce, recte dictæ ſunt extitiſſe tenebræ; nam aer, cuius peculiari quadam ratione tenebrę ſunt affectio, medius eſt inter ignis elementum, & animantia globū ex terra, & aqua cōpactū

a loc. cit. incolentia. Quamuis autem Magnus *a* Albertus Mundi materiam duobus elementis adſcribat, terrę, & aquę, dum ait, *Dicendum quod vna proprietatum materiæ eſt retinere formam; & ſecundum hanc dicitur terra, eo quod omnia quæ faciunt retentionem ſunt in terra: retentionem autem faciunt tria, ſcilicet ſoliditas vt diſpoſitio; ſiccitas autem vt materia, & frigiditas vt efficiens: & ideo dicit Auicenna quod vis retentiua vigorem ſuſcepit a frigido, & ſicco: ſecunda proprietas materiæ eſt recipere; & ſecundum hanc proprietatem dicitur aqua; quia humidum aqua non eſt terminabile in ſe, ſed terminatur ad quamlibet figuram tangentis: tertia proprietas materiæ eſt non ſubſiſtere actu; & hanc habet in quantum eſt ſubiecta priuationi; & ſecundum hanc dicitur abyſſus ab ea quod eſt* ſine & baſis; *baſis enim materiæ, ſuper quam fundatur eius eſſe ſecundum actum, eſt forma ſubſtantialis.* Nihilominus materia præter primam, & ſecundam proprietatem, quæ illi conueniunt in relatione ad formam, quam recipere dicitur, ac receptam in ſe retinere; præterque tertiam, quam habet in ſua natura abſoluta, quæ eſt ἄπιος; quartam proprietatem obtinet in habitudine ad compoſitum, & eſt integrare illius molem debitamque magnitudinem; quam perficiunt omnia elementa, ſed maxime cælum, & ignis elementum; quæ ſunt maximæ Mundi partes; in quibus potiſſimum conſiſtit integritas, & moles Vniuerſi; vt conſtat ex

a 4. meta. t. 23. *a* Ariſtotele. Sed & abyſſi nomine ſignificari materiam informem, per alpha priuatiuum, & baſim; quaſi abyſus idem ſit, ac ſine baſi; non ita gratis ab Alberto recipere poſſum; nam longe aliud eſt βάσις, & βύσσος;

il-

illud baſim ſignificat;hoc proprie fundum;ac vt abyſſus proprie dicitur aqua immenſæ altitudinis, cuius fundum inuenire non liceat; ſumitur tamen etiam pro profundo,& in immenſum patente; vnde ignis elementum altiſſimum, ac miræ profunditatis, apte nuncupari potuit abyſsus:vt antea dicebamus. Nec reticebo tenebrarum nomine a cælo,& terra diſtinctarum,aptiſſime ſignificari potuiſse tria elementa media inter cælum, & terram; quia ignis, aer, & aqua de ſe ſunt corpora diaphana; quæ ante lucis creationem neceſsario fuerunt tenebroſa; quippe tenebræ ſunt *b* priuatio luminis in perſpicuo: & Apoſtolus agens de Dæmonibus elementarem regionem,quam nos incolimus,obſidentibus,aerem ſcilicet, ignem, & aquam, vocat poteſtates *c* tenebrarum harum. Abyſſi vero nomine dici propriiſſime aggregatum ex ignis, aeris, & aquæ elementis, nemini dubium eſse debet. At vero ignis elementum in ſacra pagina ſignificari per *d* Spiritum Domini, qui ferebatur ſuper aquas, ſeu qui fouebat aquas, incubabatque, non mihi perſuadebit doctiſſimus *e* Valleſius; tum quia ſpiritus vocabulum potius aeri, quam igni tribuitur; tum quia non magis ignis Domini dicitur,quam cælum,aer,aqua, & corpus quodcumque aliud; tum quia inter ignem, & aquam medius eſt aer altiſſimus; vnde ignis circulo fertur a cælo raptus ſuper aerem, non ſuper aquas; nec magis fouet aquas quam aerem,ac terram. Qua ratione quoque cogor a Philone diſsentire, qui libello de Gigantibus ait, *Dicitur autem Dei ſpiritus, vno modo aer fluens ſupra terram tertium elementum, quod ſuper aquam vehitur; quamobrem in Opificio Mundi ait, Spiritus Dei ferebatur ſuper aquam; Aer enim quum ſit leuis attollitur,& ſurſum fertur, aquam pro baſi habens;* licet eo tueri poſſit opinio Philonis, quod tum nondum appareret arida, ſed terra tota ſub aquis demerſa

b 2. de an. t.69.70.

c Epheſ. cap.6.

d Geneſ. 1.

e de ſacr. phil.cap.1

merſa deliteſceret; adeoque aer immediate ſuper aquas nondum congregatas in locum vnum, ferretur. Ita ergo Mundi materia proxima, ex qua Vniuerſum coagmentatur tum Ariſtoteli, tum ſacris Auctoribus ſunt quinque corpora ſimplicia, quæ ad tria elementa rediguntur; grauia, leuia, neutra; proprijsque nominibus appellantur, terra, aqua, aer, ignis, & cælum: ex quibus elementis integris, quæ in ſuis quæque locis partim mouentur, partim quieſcunt, totius Mundi moles corporea cõſtituitur. Sic & in Hominis conſtitutionem concurrunt ex Ariſtotele quatuor elementa, & aliud corpus *f* proportione reſpondens elemento ſtellarum; ceu vinculum ſemimateriale nectens animam immaterialem corpori materiali; licet ad Hominis conſtitutionem elementa quatuor conueniunt; non ſecundum ſe tota, ſed ſecundum ſingulorum partes; non vt grauia, & leuia per motum, & quietem localem; ſed vt calida, & frigida, humida, & ſicca, per motum alterationis; non compoſita ſimul, ſed inuicem miſta. Verum & in Hominis conſtitutione dicere poſſumus compoſita fuiſse in vnum cælum, & terram; nimirum ſemen patris; quod ab *g* Ariſtotele comparatur cælo; & excrementum matris; quæ ab eodem dicitur proportione reſpondere *h* terræ. Præterea vero materia Hominis proxima ſunt quatuor humores ita mundanis elementis proportionati, vt ſanguis natura calidus, & humidus, aereus a prædominio, proportionetur aeri; flaua bilis non minus colore, quam calore, ac ſiccitate referat ignem; pituita ſimilis ſit aquæ frigida, & humida, candida, & fluida; melancholia demũ frigiditate, ac ſiccitate terram æmuletur: ac ſpirituoſa ſubſtantia, totam maſsam humoralem veluti regens in humano corpore viuente, proportione reſpondeat elemento ſtellarum, *i* Ariſtotelis decreto. Poſtremum ali-

f 2. de gen. an. cap. 3.

g loc. cit.

h 1. de gen. an. cap. 2.

i 2. de gen. an. cap. 3.

autem, materia proxima & immediata Hominis quum ſit corpus organicum *k* Ariſtoteli; quod ab *l* Hippocrate conſtitutum eſſe dicitur ex partibus continentibus; quæ ſolidæ nuncupantur; ex contentis; qui dicuntur humores; & ex impetum facientibus; quos appellamus Spiritus: Quumque Mundus ille Magnus conſtituatur ex cælo, terra, & *m* abyſſo tenebroſa; cælum, & terra, quæ duo extrema continent intra ſe reliqua omnia corpora; illudque naturæ indiſſolubilis; & hæc ſoliditate rigens, aptiſſime comparantur partibus ſolidis continentibus: contenta humorum corpora repræſentant aquas circa terram intra cælum fluitantes, nomine abyſſi quoque nuncupatas in ſacra pagina: ſed impetum facientes Hippocratici ſpiritus optime repræſentant ignẽ, & aerem ante lucis exortum conditos, nomine tenebrarum appellatos, mobilitate ſua cum impetu actos, ac velociter currentes. Itaque mira proportio reperitur in cauſſa materiali Mundi, & Hominis.

k 2. de an. t.4. & 7.
l 6. de morb. vul. par.7.
m Geneſ. c.1.

Mundanam, & Humanam originem ſimili modo gaudere. Cap. VI.

POſt cauſſas cuiuſque rei, ſpectandus eſt modus, quo a ſuis cauſſis res quæque producitur; qui dicitur modus Originis. Porro Mundi Originem Ariſtoteles ambiguã poſuit; etſi namque Mundum ab *a* æterno per ſimplicem emanationem a Deo *b* pendere conſtituerit alicubi: nihilominus, *c* alibi quæſtionem de Mundi æternitate ſtatuens eſſe problema neutrum, de quo rationes habeantur pro vtraque parte ſuaſibiles, & contrariæ ſint ſapientum opiniones; non diffitetur Mundum potuiſſe produci non ab æterno,

a 8. phyſ. per tot.
b 1. cæli t.100. 12. metaph. t.38.
c 1. top. cap.9.

ſed

ſed in principio temporis: Quem duplicem modum Originis in Homine poſuit idem Philoſophus; tum quia Mundo coæuum eſſe putauit genus humanum: tum abſolute, quia dum Mundi æternitatem profitetur, Hominem in ſpecie ſumptum ab æterno ſimul cum Mundo a ſummo Deo dependere ſtatuit, *d* aſſerens, a Deo rebus omnibus pendere eſſe & viuere, his quidem exactius, his autem obſcurius: &, *e* a tali principio tum cælum, tum naturam dependere. Vt autem in prima illa Mundi ab æterno conſtitutione Deus cauſſa efficiens omnium Mundum produxit partim per creationem ex nihilo ſine nouitate eſſendi, partim per generationem ex materia; nam in primo ſigno originis, ſeu in primo inſtanti naturæ, a ſummo Deo profluxit ex nihilo materia prima, quæ *f* nihil habuit ante ſe materiale, ex quo generari potuerit: ſed in ſecundo ſigno ex materia produxit cælum, & noſtratia elementa Deus; & in tertio ſigno ex his Mundum coagmentauit: Quam doctrinam ex Diuo *g* Auguſtino innuit Magnus *h* Albertus: Ita in Hominis productione Deus partim creatione, partim generatione vtitur; nam corpus Hominis generat, producitque Deus ex determinata materia concurrens cum genitoribus ad ſobolis procreationem; aſt animam rationalem non educit ex *i* vlla materia, ſed ex nihilo creatam infundit organizato corpori noſtro, ac veluti *k* lumen accendit in materia illuſtrabili. Præterea vero Mundi generatio ſemper fit *l* Ariſtoteli, ſaltem quoad regionem elementarem; potiſſimum dum aſſerit, quod *m* Deus compleuit Mundum continuam faciens generationem: dumque monet, quod Mundi pars elementaris eſt in *n* continua generatione, & corruptione: Similiter Hominum generatio ſemper ſit in toto Mundo. Deinde in prima Mundi geneſi totius produ-

ctio

d 1. cæl. t.100.
e 12.meta. t.38.
f 1. phyſ. t.82.
g 5.ſup.Geneſ.ad litt.
h de quatuor coæqu. qu.12.art. 9.11.
i 2.de gen. an.cap.3.
k 3. rhet. c.10.
l 4. meta. t.23. 2. de gen. t.58.
m 2 de gener. t.59.
n 4. meta. t.23.

ctio non ſpontanea fuit, ſed ab efficiente *o* Deo cęlum, & terram creante; atque ad Vniuerſi conſtitutionem in vnum copulante: ſic Homo ſponte gigni non poteſt; vt late probauimus in Opere *p* De Spontaneo Viuentium Ortu; ſed a certo efficiente *q* Deo, qui concurrens cum omnibus cauſſis ſecundis ad quoſlibet effectus producendos, maſculum, & feminam, veluti *r* cælum, & terram copulat, ſeu maſculi ſemen, quod proportione reſpondet elemento *ſ* ſtellarum, & exerementum feminæ coniungit in Hominis naſcituri conſtitutionem. Inſuper apud Magnum *t* Albertum, Diuus *u* Auguſtinus ait, Mundum a Deo productum fuiſſe per creationem cæli, & terræ, ideſt, naturæ ſpiritualis, & corporalis: ſic Homo procreatur per productionem animæ, & corporis; quorum illa cælo comparatur, ob immortalitatem; hoc terræ, quum ſit a prædominio terreum. Amplius, vt Mundus a Deo productus eſt ſeptem dierum ſpacio; quod *x* Moſes, & *y* Linus conteſtantur; ſic Homo in vtero formatur ſeptenario temporum numero; quod *z* Hippocrates admonuit. Ita ergo modus generationis Hominis mirifica proportione reſpondet modo geneſis orbis Vniuerſi.

o Geneſ. c. 1.
p lib. 1. cap. 19.
q 12. meta. t. 24.
r 1. de gen. an. c. 2.
ſ 2. de gen. an. c. 3.
t 4. de quatuor coęq. q. 12. art. 9. & 11.
u lib. 5. ſup. Geneſ. ad litt.
x Geneſ. cap. 1. & ſeq.
y Ioſ. Phanor. de hom. excell. par. 1. cap. 42.
z de ſept. part. & lib. de princ.

Mundum, & Hominem obtinere ſui conſtitutionem perſimilem. Cap. VII.

GEnerationis, ſeu productionis, quæ proprie dicitur cooperatio cauſſarum, terminus proprius & immediatus eſt conſtitutio effectus ab ijs cauſſis prouenire nati. Quam quidem conſtitutionem præſtat nunc in Mundo, & in Homine contemplari; quia ſummam in ea vtriuſque conſenſionem,

reperiemus. Mundus etenim duplicem habet conſtitutionem; vnam quidem priorem, ſeu materialem, ex partibus integrantibus; alteram vero illi ſuccedentem, ex partibus eſſentialibus: multæ his proportione reſpõdentes conſtitutiones terminant Hominis originem. Sane prima Mundi totius conſtitutio integralis eſt ex quatuor elementis integris, & cælo, ſola compoſitione, citra miſtionem, ſua quæque loca diſtincta incolentibus, vt grauia medium vniuerſi locum occupent; quibus leuia vndique ſuperimponantur; & neutra corpora cæleſtia cuncta illa intra ſe claudant, ea ratione vt in cent o Mundi terra permaneat immota; circa terram maxima ex parte circumfluat aqua; globum ex terra, & aqua cõflatum aer ambiat vndique; aerem ſuperior circuat rotátus ignis; & ignem contineat, ac in gyrum circa centrum voluat cæleſte corpus: Quam theoriam fuſe coluit *a* Ariſtoteles, & veram eſſe demonſtrauit. Altera vero Mundi conſtitutio eſt ex omnibus iſtis corporibus ſenſibilibus ita inter ſe ordinatis, velut ex vniuerſa materia, & Deo ſummo, a tali materia penitus independente, ſed illi aſſiſtẽte in formam viuificam, in effectricem cauſſam gubernantem & conſeruantem, atque in finem vltimo perficientem: Quæ ſententia legitur in *b* Ariſtotelis doctrina, ſuperius a nobis late ſatis explicata. Cæterum in Homine conſimilem habemus multiplicem conſtitutionem: primum quidem Homo materialem ſui corporis conſtitutionem habet ex partibus omnium elementorum per miſtionem in vnum mirabiliter coeuntibus, & forma miſti; quæ ideo cælo proportione reſpondet, quod cælum erga elementa retinet rationem formæ; vt ait *c* Ariſtoteles: quoniam Homo eſt miſtum perfectum; ad cuius conſtitutionem neceſſario concurrunt omnia elementa ſecundum partes. Immo propinquior alia

a lib. de cæl. paſſim.

b 1. cæl. t. 99. 100. 12. meta. t. 52 56. de mund. cap. 7.

c 2. de gen. t. 50.

alia materialis conſtitutio corporis humani eſt ex quatuor humoribus,& temperamento vitali, ſeu calido naturali;quod erga illos ſe habet vt cælum erga elementa; nam calor natiuus *d* Ariſtoteli dicitur proportione reſpondere elemento ſtellarum; & humores humani corporis proportionatos eſſe quatuor elementis; omnes ab *e* Hippocrate, *f* Galenoque didicerunt. Inſuper coagmentatur humanum corpus apud *g* Hippocratem ex continentibus, contentis, & impetum facientibus; quorum continentia ſunt partes ſolidæ, cælo proportionatæ, quod omnia continet; contenta ſunt quatuor humores, totidem elementa mundi referentes natura; impetum facientia ſunt ſpiritus, ſpiritualem Intelligentiarum cælis, ac mundo in formas aſſiſtentium ſubſtantiam æmulantes. Præterea conſtituitur humanum corpus ratione viſcerum præcipuorum, ex cerebro, corde, pulmone, iecore, teſtibus, ac liene: quorum cerebrum cælo comparatur ob ſitum, figuram ſphæricam, & ſenſuum domicilium: Cor ignem æmulatur, quum ſit fons caloris, & ſpirituum: Pulmo repræſentat aerem, quem aſſidue trahit: Hepar aquam præmonſtrat, quum ſit fons & origo prima omnium humorum: Lien,& teſtes, Terræ ſymbolum dicuntur; lien ob temperamentum, teſtes ob vim genitalem; a qua terra denominatur mater communis, & antiqua genitrix. Amplius conſtituitur humanum corpus ex capite, thorace, abdomine, ac pedibus: Caput membrum diuiniſſimum, ob rotunditatem, & ſublimitatem cælo comparatur a Platone in Timæo; Pectus ignis, & aeris elementum duplex intra ſe complectitur,ignem corde, quod eſt fons caloris;aerem pulmone, qui aerem aſſidue trahit ad cordis refrigerium: Venter aquas refert, in quo humores omnes cum alimentares, tum excrementitij proprias ſedes ha-

d 2.de gen. an.c.3.

e de nat. hom. & 4.de morb. init.

f 8.de decr. c 5 6.

g 6. de morb. vul. par.7.

bent: Pedes & ſitu, & temperamento frigidi, & ſicci terram æmulantur. Sed vlterius aliam diuiſionem partium humani corporis, aliamve conſtitutionem humani corporis ex partibus integralibus nobis ob oculos ponit ſacra pagina in ſtatua Nabuchodonoſor Regis apud *b* Danielem, Mundi conſtitutioni ſimillimam inquiens, *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis; ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis: Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat; pectus autem & brachia de argento: Porrò venter & femora ex ære: Tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Quæ ſane mundi conſtitutioni pulchre reſpondet; etenim ſtatua magna, & ſublimis eſt mundus totus, quo nihil eſt inter corpora maius, aut ſublimius: caput ex auro optimo cælum eſt aſtris micantibus mire coruſcans: pectus, & brachia de argento, ſunt duo elementa ignis, & aër, ob perſpicuitatem argento candido non abſimilia: Venter, & femora ex ære, referunt elementũ aquæ, quod æs inter metalla maxime particeps eſt aquæ, & mollitie fluxilitatem aquæ vtcumque repræſentat: Tibiæ ferreæ, pedesque fictiles, optime terram indicant, quæ duritie ferrum æmulatur, & in fictili valde prædominatur. Plutarchus etiam *i* agens de facie in Orbe Lunæ proponit Analogiam Mundi, & partium præcipuarum humani corporis, aſſerens, *Ratione praualente, Stellæ tamquam luciferi oculi in facie Vniuerſi inſertæ circumferuntur: Sol autem, qui cordis habet vim, ex ſeſe calores, & lumen tamquam ſanguinem diffundit: Terra, & mari natura vtitur, ſicut animal ventriculo, & veſica: Luna Soli, & terræ interpoſita, ſicut iecur inter cor, & ventriculum, aut aliud molle viſcus inſitum; calorem hac demittit; & quæ hinc exhalant, coquendo, purgandoque ad ſe extollit.* Petrus etiam Bongus peragens de myſtica numerorum ſignificatione, hanc partium humani corporis

b cap. 2.

i opuſcul.

ris cum præcipuis mundi partibus inſinuat, aſſerens, k *Tres quum ſint præcipuæ ſenſibilis Mundi partes, Firmamentum, Sol, Terra; in humano corpore Trias hæc inuenitur Mundo proportionabilis: Hominis Cælum, ſiue Firmamentum, aut Stella, eſt eius cerebrum: Hominis Sol, ſeu planeta, eſt eius cor, ſitus in eius medio: Hominis elementum, aut Terra, eſt eius venter, aut ima pars ventris, natura humida; a qua cordis calor, non ſecus quam Sol a terra nubes & vapores eleuat, tollitque ad animalis culmen;* & mox, *Secundum diſtinctionem mundi Angelici, cæleſtis, & elementaris, ſunt in humano corpore tres partes, ita diſcluſæ & ſeparatæ, vt tribus mundi partibus proportione reſpondeant: prima quidem & ſuprema caput; ſecunda, quæ a collo ad vmbilicum protenditur; tertia, quæ ab vmbilico extenditur ad pedes: Eſt in capite cerebrum fons cognitionis;* vt extra, ſeu ſupra cælum l Ariſtoteli natura Diuinæ mentis, & Intelligentiarum: *Eſt in pectore cor, fons vitæ, motus, & caloris: ſunt in poſtrema parte genitalia membra, principium generationis: ſic & in Mundo ſuprema pars, quæ eſt Mundus Angelicus, ſeu Intellectualis, eſt fons cognitionis, quia facta eſt illa natura ad intelligendum: pars media, quæ eſt cælum, principium vitæ, motus, & caloris; in qua Sol, veluti cor in pectore, dominatur: Eſt infra Lunam, quod omnibus notum, generationis principium, & corruptionis: Vide quam apte tres maioris, & minoris Mundi partes inuicem congruant.* Sic olim Serapidis Oraculum Nicocreonti Cypriorum Regi, mundum inducit, qui miram ſui cum homine prædicat analogiã his metris,

k lib. 1. c. de num. tern.

l 1. cœl. t. 100.

> Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷος κ' ἐγὼ εἴπω.
> Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα.
> Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
> Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

hoc eſt, ex m Phauorini verſione,

> *Sum Deus, vt diſcas, talis, qualem ipſe docebo,*
> *Cæleſtis Mundus caput eſt, mare venter opacum,*
> *Terra pedes, aures verſantur in æthere ſummo,*

m 1. de homin. exc. cap. 42.

Lux oculi, quam Solis habet ſplendentis imago.

Vel ſi mauis ad verbum ex Opſopœi tranſlatione,

Sum Deus talis ad diſcendum, qualem & ego dico.
Cæleſtis ornatus caput, venter vero mare,
Terra autem mihi pedes præſtat, at aures in æthere ſunt,
Oculusque eminus ſplendens, lucidum lumen Solis.

Quam analogiam explicauit latius in Timæo Plato. Ceterum ſi multiplex iſta materialis conſtitutio Hominis materialem Mundi conſtitutionem æmulatur; næ alia conſtitutio eſſentialis Hominis conſimilem conſtitutionem eſſentialem mundi mirifice ſatis exprimit: ſi namque, vt ait *n* Ariſtoteles e cælo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur, nimirum aqua, aere, & igne, certo ordine digeſta, & Deo ſummo, illi in formam conſeruatricem, ac viuificatricem aſſiſtente: conſimiliter Homo eſt compages ex elementis, humoribus, & membris omnibus nuper explicatis, congruo inuicem ordine digeſtis in organa, & ex anima *o* rationali eam compagem, vt *p* forma *q* viuificante, conſeruante, ac informante: quæ anima cum Deo magnã habet analogiã, vt *r* antea vidimus ex *ſ* Ariſtot.

n 1. cæl. t. 99. 100. & lib. de mũdo, cap. 2.
o 2. de ger. an. cap. 3.
p 2. de an. t. 6.
q 2. de an. t. 24. 36. 37
r cap. 4.
ſ 1. meta. ſu 2. c. 2. & 12. meta. t. 49.

Eſſentia Mundi mirifice proportionata demonſtratur cum eſſentia Hominis. Cap. VIII.

TErminus conſtitutionis cuiuſque rei dicitur τὸ Eſſe: hoc autem quum ſit geminum in vnaquaque re; vt adnotat etiam *a* Ficinus; primum quorum eſt Eſſe ſimpliciter, ante quod nihil eſt; idque eſt ſimpliciſſimum Eſſe, in quo cuncta communicant, quæcumque dicuntur eſſe in rerum natura; quod quidem Eſſe peculiari nomine dici conſueuit exiſtere,

a 18. de an. im. cap 3.

ſtere, ac exiſtentia; & hoc eſt illud Ens, non commune analogum, quod in decem prædicamenta diſtributum ſpectatur; ſed commune indifferens, quod indiuiſibile prorſus eſt, ac reponitur inter appellata Tranſcendentia; iſta namque ſigillatim ſunt pure indifferentia; proindeque communia, quæ diuidi nequeunt in minus Vniuerſalia; quum indifferenter ſingula reſpiciant. Diuiſio verò, diſtributioque communibus ijs tantum aptari valeat, quæ diuerſimode reſpiciunt inferiora; quippe diuiſio quæuis ex neceſſitate ſupponit differentias, ſecundum quas commune diuidendum varie participatum ſit ab ijs, in quæ dicitur eſſe diuiſibile. Quo factum eſt, vt diuiſio, & diſtinctio ſit propriè vniuoci, & analogi, addimus & æquiuoci, ſi placet; non autem indifferentium: ſed in his ſolum ſit enumeratio. Alterum vero Eſſe eſt eſſe-hoc, nimirum eſſe-hominem, eſſe-ignem, & id generis; tale ſiquidem eſt eſſe poſterius, compoſitum, & particulare; quo ſingula inter ſe differunt; non enim idē eſt eſſe-lapidem, & eſſe-hominem, eſſe-plantam, & eſſe-animal; quod Eſſe ſecundum peculiari nomine nuncupatur Eſſentia, ſiue ſubſtantia cuiuſque: & hoc Eſſe in communi conſideratum eſt illud Ens, non indifferens, ac tranſcendens, quod Ariſtoteles *b* aliquando ſcribit nulli eſſe ſubſtantiam; ſed analogum, participatum diſſimiliter; quod propriè diuiſum eſt in decem prędicamenta; id etenim ſua inferiora reſpicit diuerſimode, non quidem per differentias oppoſitas, vt vniuocum; ſed per diſparatas, & varias quoquomodo: Vnde fit, vt genera vniuoca diuidenda ſint in ſuas ſpecies ſemper diuiſione bimembri; eſt etenim contrarietas, & oppoſitio quælibet inter duo tantum; quippe vni vnum ſolum vbique contrarium eſt: ſed analoga, & æquiuoca immediate partiuntur in tot analogata, & æquiuocata, quot ſunt dif-

b 2. poſt. t.7.

Digitized by Google

differentiæ illæ diſparatæ, ſecundum quas reſpiciunt ſingula minus communia, atque ideo in eis diſtinguendis obſeruanda non eſt diuiſio bimembris; quæ ſola neceſſaria eſt in vniuocorum partitione. Cæterum licet analoga, & æquiuoca in eo conueniunt, vt immediate diſtinguantur in tot membra, quot ſunt illæ naturæ, de quibus prædicantur: differunt nihilominus in aſſignatione membrorum; quia quum æquiuocata nullo prorſus ordine ſeſe inuicem reſpiciant; ideo æquiuocum in ea partiri poteſt nullo ſeruato ordine in aſſignatione membrorum; at in partitione analogi ſeruandus eſt ille ordo, quo priora, digrioraque analogata cæteris præponantur; inter analogata ſiquidem, vt *c* Ariſtoteles edocet, vnū ſemper eſt prius, ac nobilius, a quo reliqua quodammodo dependere dicuntur; & proinde ipſe idem *d* Ariſtoteles, dum partitur ens, quod eſt analogum, quod *e* ſæpius efficit, præmittit vbique ſubſtantiam, veluti primum, & principale analogatum omnibus alijs prædicamentis. Ex his iam ſatis patere arbitror, exiſtentiam longe diuerſum quid eſſe ab eſſentia; quum illa ſit pure indifferens, atque tranſcendens; hæc autem analogum, diuiſum in decem prædicamenta, diuerſimodeque a rebus participatum: indifferentia namque valde differunt ab analogis; quum analoga diuiſibilia ſint in multas naturas; indifferentia vero ſint omnino impartibilia; quia dicunt vnam naturam ſimplicem penitus, pluribus æque communicatam ſine vllius differentiæ interuentu: Sic etiam æquiuoca, vel ex *f* Ariſtotele, differunt toto cælo ab analogis; quæ altera ab alteris nuncupantur; non minus quam ab vniuocis, quæ priora dicuntur; & ratio diſtinctionis huius eſt, quia vniuocum dicit naturam quãdam communem pluribus, æque illis omnibus participatam, etiamſi ſub oppoſitis differentijs; quæ natura communis

c 4. meta. t.2.4.
d antepręd. c. vlt.
e 4. meta. t.2. 5. meta. t. 14. 9. meta. t. 1. 12. meta. t.2.3.
f 1. de gen. t. 44.

munis prior eſt omnibus ijs particularibus, quibus ineſſe dicitur: Analogum vero dicit naturam item communicatam pluribus, at non æque; immo diuerſam in ſingulis; neque illis reipſa priorem, ſed coæuam; quæ licet in ſingulis diuerſa ſit, non tamen eſt vſque adeo differens, quin aliquam habeat communitatem, & conuenientiam, ſiue habitudinem in partibus ſub differentijs diſparatis, ratione cuius de illa formari poteſt vnus conceptus cõmunis omnibus analogatis: Quo factum eſt, vt analogi aſſignari valeat vna definitio communis: At æquiuocum non ponit vllo modo vnam naturam communem, niſi quoad nomen; ſed ponit multas eſſentias ita inuicem diuerſas, vt nullam habeant cognationem, aut habitudinem inter ſe, ratione cuius de æquiuoco formare poſſimus vnum aliquem conceptum communem omnibus æquiuocatis; at ob iſtam æquiuocatorum diſcordiam, ſeu diuerſitatem, non poteſt de æquiuoco haberi, niſi conceptus, & ratio, ſeu definitio multiplex; & propterea ſapienter [g] Ariſtoteles quaſi lege ſanxit, ęquiuocum prius diſtinguendum eſſe, quam definiendum, inquiens, omnino impoſſibile eſſe quærere elementa entium, quæ multipliciter dicuntur, hoc eſt, æquiuocorum, non diuidendo; per elementa definitionis partes, ac definitionem innuens, cuius partes ſunt elementa, ideſt cauſſæ internæ, ac eſſentiales rei definitæ. Indifferentia demum, quæ ponere dicuntur vnam naturam ſimplicem, æque participatam in pluribus abſque vllo differentiarum interuentu, ab æquiuocis, ab analogis, & ab vniuocis quammaxime differunt: Quamobrem quum exiſtentia ſit indifferens ad omnia, quæcumque ſunt, tamquam vnum e numero Tranſcendentium; Eſſentia vero ſit analogum illud ens, quod partitur in decem prædicamenta; immo cuius paſſionis, & attributa dicuntur eſſe

g 1. meta. t. 47.

Tran-

Tranſcendentia cuncta; neceſſarium eſt confiteri, Exiſtentiam longe diuerſum quid eſſe ab eſſentia; quamuis illarum vtraque ijſdem nominibus a Philoſophis appellari ſoleat promiſcue Ens, & Eſſe. Addo Exiſtentiam eſſe id, quod quæri conſueuit de quauis re per Quæſtionem illam ſimplicem, in ordine primam, quam Si eſt nũcupamus; Eſſentiam vero id, quod quæritur per ſecundam Quæſtionem, Quid eſt appellatam: Cæterum Quid eſt, & Si eſt, eſſe Quæſtiones inuicem admodum differentes, potiſſimum eo quia diuerſas naturas inquirunt, notius eſt; quam dignum vt *b* Ariſtotelis auctoritate confirmetur. Amplius Eſſentia, nemine penitus diſcrepante, ſubſtantia eſt cuiuſque rei, cuius dicitur Eſſentia; quum autem præter hoc ens, apud *i* Ariſtotelem, ſit aliud eſſe, quod nulli rei ſubſtantia eſt; eſſe nimirum illud, quod alio nomine dicitur Exiſtere; & eſt illud Ens tranſcendens, quod eſt cuique ſubſtantiæ, ac eſſentiæ ſuperadditum: iam liquido conſtare poteſt, aſsentiendum non eſse * Theophilo Zimaræ dicenti non audiendos eſse illos, qui putant Exiſtere eſſe additamentum eſsentiæ; ac præter ens in decem prædicamenta diſtributum, atque ens verum, eſse tertium quoddam Ens ſubſtantiæ, ſeu eſsentiæ ſuperadditum. Præterea Ens, & eſse illud, quod ſignificat eſsentiam, additum alicui non facit compoſitionem; ſi enim dixeris eſse hominis, eſse corpus, carni eſse, eſsentia ignis, homo ens, & ſimilia, non propterea negabis, aut affirmabis, verum falſumve proferes: Ens autem, ſeu eſſe, quod ſignificat exiſtere, ſeu exiſtentiam, additum alteri neceſsario facit compoſitionem, atque affirmat, aut negat, verumque, aut falſum includit; vt ſi dicamus, Hominem eſse, lignum eſt, corpus eſt ens, animal exiſtit, & id generis alia: ſignum euidentiſſimum non parum ab inuicem differre eſsentiam,

b 2. poſt. cap. 1.

i 2. poſt. t. 7

* 3. de an. com. t. 3.

&

& exiſtentiam. Porro vt in exiſtentia Mundus mire cum Homine conſentit; quum vterque ſimiliter exiſtat dependenter a ſummo Deo immediate; in eſſentia quoque maximam habent analogiam; nam k Ariſtotelis quum viuentibus eſſe ſit ipſum viuere; Mundi vita quum omnes in ſe vitas eminenter complectatur; quod pulchre concinit Maro l Syrenophœnix, k 2. de an. t. 37. l 6. Æneid.

Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Et Hominis vita eſt huiuſmodi, vt omnes in ſe vitas contineat formaliter; quia vegetalem habet cum plantis communem, ſenſitricem cum brutis, m rationalem, ſeu intellectricem cum cælo, & mundo; vt late probauimus in opere n De Vita. Quinimmo vt vita humana o definitur eſſe naturalis inexiſtentia humanæ animæ informantis in corpore noſtro mediante calore naturali; ſic vita p mundana eſt naturalis aſſiſtentia Dei ſummi toti mundo immediate. m Porph. præd. cap. de diff. n li. 2. cap. 29. & ſeqq. o ibid. cap. 24. p ibid. cap. 43.

Mundi, & Hominis analogia colligitur ex vtriuſque duratione, & æuo. Cap. IX.

POſt eſſe cuiuſque rei, ſeſe Philoſopho ſuggerit conſideranda duratio, & æuum; quod eſt illius eſſe propria menſura; nihil enim fit a natura, quod tali productione de non eſſe ad eſſe perductum,

in eo eſſe non permaneat aliquandiu; ſiquidem *a* Ariſtotelis decreto, in generatione, & corruptione penitus abſurdum eſſe videbitur, ſi factum confeſtim neceſſe eſt corrumpi, & nullo tempore permanere: Quare poſt Mundi eſſe, illius æuum inſpicere debemus, & cum Hominis æuo comparare. Profectò ſi conſulamus Ariſtotelem, maxima proportio eſt inter æuum Mundi, & Hominis; primo quidem comparatione facta totius Mundi cum tota ſpecie humana, ex Ariſtotele philoſophantibus dicendum videtur, proportionalem eſſe Mundi, & Hominis durationem; nam & Mundum ab æterno in *b* æternum durare cenſuit Ariſtoteles; & Humanam ſpeciem Mundo *c* coæuam eſſe conſtituit. Deinde vero ſi ſingulos Homines conſideremus, etſi ratione corporis non ſemper cum Mundo ſint; attamen quia vnumquodque eſt id, quod in eo eſt ſummum; vt non *d* vno in loco ſtatuit idem Philoſophus; ac ſpeciatim Homo quilibet maxime ſuus eſt, *e* intellectus; quum apud Ariſtotelem intellectus humanus ſit *f* antiquiſſimus, & *g* immortalis; vt fuſe nos demonſtrauimus in opere De immortalitate animorum: proculdubio ad mentem Ariſtotelis quilibet homo ratione ſuæ animæ Mundo toti coæuus eſt. Immo vero Magiſter *h* alibi videns Mundum conſtitutum ex parte cæleſti perpetua, & incorruptibili; & ex parte elementari generabili, & corruptibili; ab illa tamen potiori Mundum denominari vult ingenitum, & incorruptibilem; non autem ab hoc inferiori generabilem, & corruptibilem; ait enim, *Item dignum eſt reprehendere eos, qui ita arbitrantur; quoniam quum & ipſorum ſenſibilium pauciora numero ita ſe habere viderent, de toto tamen cælo ſimiliter ſenſerunt: hic enim qui circa nos eſt ſolum ſenſibilium locus in corruptione, & generatione eſt; qui nulla, vt ita dicam, Vniuerſi pars eſt: Vnde iuſtius fuiſſet propter illa, iſta etiam abſoluiſſe, quam propter iſta,*

illa

a 8. phyſ. t.63.
b 8.phyſ.t. 1. & ſeqq. 1.cœl.t.20. & ſeqq.
c 1.cæl.t. 22.
d 9.ethic. c.4.& 8.
e 10.ethic. c.7. 3.de an.t. 20.
f 1. de an. t.82.
g 2.de an. t.23. 3. de an.t. 7.&20.
h 4. meta. t.23.

illa condemnaſſe. Sic igitur & Homo, licet corpus caducum habeat, ſeu partem inferiorem ortui, & interitui, obnoxiam; quia tamen anima conſtat immortali, parteque ſuperiori perpetua; Mundo toti coæuum quid eſſe dicendus eſt; & non ſolum Homo in ſpecie, ſed etiam quilibet in indiuiduo, ad aliorum omnium ſubcæleſtium differentiam, æternus dicendus eſt apud Ariſtotelem; qui non ſolum cuiuſlibet Hominis animam ſolam *i* Diuinam, & vndiquaque poſuit *k* æternam; vt nos olim fuiſſe probauimus in libris De Immortalitate Animæ rationalis: ſed etiam cælum erga mundum inferiorem ſe habere *l* conſtituit, vt forma erga materiam, adeoque vt *m* anima erga corpus. Sin autem ſacras litteras audiamus, vt Homo in ſpecie ſumptus Mundo coæuus eſt; quia licet in illis legamus, Hominem conditum eſſe die ſexta; nihilominus Diuus Auguſtinus apud *n* Albertum Magnum inquit, Omnia facta ſunt a Deo ſimul in tempore; ſed dierum illa ſucceſſio poſita fuit ad indicandum ordinem naturæ, qui eſt ab imperfecto ad perfectum: Ita quilibet Homo ſingularis coæuus eſt Vniuerſo quoad animam, ſi non ab æterno, ſaltem in æternum; vt docuit Diuus *o* Thomas, cui *Homines non ſolum ſunt incorruptibiles quantum ad communem ſpeciem, ſed etiam quantum ad proprias formas ſingulorum; quæ ſunt animæ rationales.* Quinimmo Gloſſographus *p* Beda Venerabilis Hominem ponit etiam ſecundum carnem eſſe immortalem, dum ait, *Quæritur quomodo immortalis factus ſit homo præ alijs animantibus, & cum illis communem acceperit alimoniam? ſed alia eſt immortalitas carnis, quam in Adam accepimus, alia, quam in reſurrectione per Chriſtum ſperamus: ille factus eſt homo immortalis, vt non poſſet mori, ſi non peccaret; moreretur autem, ſi peccaret: Filij vero reſurrectionis æquales Angelis, nec poterunt vltra peccare, nec mori: Caro ergo noſtra poſt reſurrectionem non eget ciborum refectione, quia nec*

i 2. de gen. an. cap. 3.
k 1. de an. t. 62. & 82.
l 2. de gen. t. 50.
m 2. de an. t. 6.
n de quatuor coæu. q. 12. ar. 11.
o 1. par. qu. 113. ar. 2.
p 1 Hexam c. 1.

fame, nec laſſitudine, nec alia infirmitate adeſt defectio, vel poterit corrumpi: Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata eſt, vt per alimoniam adiuta, eſſet mortis, & doloris expers, donec corporalibus incrementis perductus ad ætatem, quæ Conditori placeret, multiplicata progenie ipſo iubente ſumeret etiam de ligno vitæ, quo perfecte immortalis factus, cibi vlterius adiumenta non requireret. Sic ergo immortalis, & incorruptibilis condita eſt caro hominum, vt ſuam immortalitatem, & incorruptionem per cuſtodiam mandatorum Dei cuſtodirent: in quibus & hoc erat, vt de illis lignis conceſſis manducarent; ab hoc interdicto abſtinerent: Per hoc edulium immortalitatis dona conſeruarent, illius tactu mortem inuenirent. Sic vero incorruptibilis, & immortalis erit in fine caro noſtra, vt ſicut Angeli, in eodem ſtatu ſemper maneat, & corporalibus cibis (qui ibi non erunt) egere non poſſit: nam quod Angeli cum Patriarchis manducauerunt, non indigentia, ſed benignitate factum eſt, vt hominibus familiarius congruerent: Chriſtus quoque poſt reſurrectionem manducauit, non vt cibo indigeret, ſed vt veram poſt mortem ſe carnem recepiſſe monſtraret. Sic ergo & q Auguſtinus, *Non ait Apoſt. Ro. r corpus mortale propter peccatum, ſed mortuum: illud enim ante peccatum mortale, & immortale, quia poterat mori, & non mori: aliud eſt autem non poſſe mori, & poſſe non mori: quodammodo creatus eſt homo immortalis:* ſ Lyrano quoque, *Poterat homo ſeruare innocentiam, quam ſi ſeruaſſet, neceſſitatem moriendi non incurriſſet.* Ita ergo quemadmodum Mundus eſt incorruptibilis, æuique perpetui; ſic & homo totus, etiam aliqua ratione ſecundum corpus eſt immortalis. Cæterum & æuum Hominis diſtributum eſt in ſeptem ætates, quæ ſunt infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, virilitas, ſenectus, atque decrepitas; de quibus tum ex t Heſiodo u Bonamicus aſſerens, Heſiodum diſtinxiſſe ætates in ſeptem decades: tum ex x Hippocrate y Bongus, & z Philo prior inquiens, *Hippocrati infans eſt, vſque ad annos ſeptem, dum emittit dentes;*

q de Gen. ad litt. l. 6. c. 19. to. 3.
r cap. 8.
ſ Geneſ. c. 3. 2.
t in Dieb.
u n de alim. c. 24.
x lib. de Principijs.
y de num. 7
z de mũd. opif.

Tuer.

Puer, ad quatuordecim, dum ſemen in eo creſcere incipit, ad geminum ſcilicet ſeptenarium; Adoleſcens, vſque ad vigeſimum primum, id eſt, ad annum ter ſeptimum, dum barbæ pubeſcit lanugo; Iuuenis, vſque ad trigeſimum quintum, dum totius corporis augeſcunt vires, quod eſt ad quinquies ſeptimum; Vir, vſque ad vndequinquageſimum, nempe ad ſepties ſeptem; Veteranus, ad quinquaginta ſex, ideſt, ad ſeptíes octo; Senex, quod inde reliquum eſt temporis obtinet.

In eamdem ſententiam conceſſit * Macrobius, inquiens Phyſicos exiſtimare vitæ humanæ perfectum ſpacium terminari ſeptima decade annorum. Eadem ſcripſit & Diuus *a* Auguſtinus. Sed Mundi ætates etiam numero ſeptenario claudi clare nobis innuit *b* Lactantius, ſed latius explicauit Diuus *c* Auguſtinus, qui & *d* alibi eas breuius attulit, inquiens Ætatem Mundi primam fuiſſe ab Adam vſque ad Noe; ſecundam, a Noe vſque ad Abraham; tertiam, ab Abraham vſque ad Dauid; quartam, a Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis; quintam, a tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum; ſextam, vſque ad finem Mundi, ſiue ad diem Iudicij; ſeptimã, a die Iudicij in æternum; ſic enim & in ætate ſeptima, quæ decrepitas appellatur, & vltimum ſenium, homines vacant ab operibus, & in hac vita, quæ *e* militia eſt ſuper terram, veluti *f* rude donati feriantur a laboribus, & ſoli vacant contemplationi; vt ſex ſint ætates operoſæ in vita & Mundi, & Hominis, & ætas vtriuſque ſeptima ſit ætas quietis, ac requiei; Eandem ſententiam excoluit non vno in loco Diuus Ioannes Chryſoſtomus; primo ſiquidem ait, *g Ideo ergo quia ſexageneriuſiſte ſacratus ſemper inuenitur, eo quod per ſex dies Deus conſtituit omnia quæ in mundo ſunt; & ſex ætates eſſe voluit, ideſt, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, grauitatem, & ſenectutem; quæ infantia agnoſcitur ab Adam vſque ad Noe; pueritia a Noe vſque ad Abraham; adoleſcentia ab Abraham vſque ad*

* 1. in ſom. Scip. cap. 6
a de ver. rel. c. 26. tom. 1.
b 7. de diu. præm. c. 14
c tom. 1. l. 1. contr. Manich. c. 23. & ſeqq.
d tom. 5. 22. de ciu. Dei c. 30.
e Iob c. 7.
f Cęl. Rhodig. 11. ant. lect. c. 11.
g De Iephte Homil. 1.

Digitized by Google

Dauid; iuuentus a Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis; grauitas a tranſmigratione Babylonis vſque ad Ioannem Baptiſtam, & incarnationem Domini; ſenectus vſque ad finem Mundi: nam & generis humani ſex ætates agnoſcuntur, hoc eſt, vt dixi ſuperius, infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, grauitas, & ſenectus. quæ tamen ad ſeptem ætates rediguntur, ſi vt in humana vita diſtinguimus ſenectam in viridem, & decrepitam; ita in Mundi duratione finem Mundi diſtinguamus in duplicem, quorum alter vltimo Iudicio terminatur, alter poſt Iudicium in æternitatem extendatur; quod clare profitetur deinde vir ſanctus *h* alibi, dum comparans ætates Mundi cum diebus creationis, poſteaquam diligenter ſex dies creationis cum ſex Mundi prioribus ætatibus comparauit, ſeptimam diem Sabbati quietis comparat cum duratione Mundi poſt Iudicium inquiens, *Septimum autem lumen daturus eſt nobis, quum venerit reddere ſingulis ſecundum opera eorum.* Niſi etiam dicamus ſeptimæ Mundi ætati poſt Iudicium æternæ correſpondere vitam æternam hominis poſt mortem corporalem: ſextamque hominis ætatem nomine ſenectutis verumque ſenium complectentem correſpondere ſextæ Mundi ætati, in qua ab ortu Chriſti ad Antichriſti aduentum ſit veluti viridis ſenectus; ab Antichriſti aduentu ad vniuerſale Iudicium contineatur veluti Mundi decrepitas, & vt ait *i* Pſalmiſta *labor, & dolor.* Mirabilis igitur eſt proportio ætatum Mundi, & Hominis; quia ſex habet ætates vterque laboris, & ſeptimam vterque quietis.

h to. 1. hom. 39. ſup. c. 21. Matth.

i Pſal. 89.

Mundo, & Homini conſimilem vnitatem congruere. Cap. X.

AB eſſentia rerum permanente, atque aliquandiu perdurante, proueniunt tum permanentes quædam

dam affectiones; quæ proprietates, & affectiones vulgo nuncupari ſolent; tum etiam certæ functiones, & operationes; nihil etenim a ocioſum natura patitur; & operationes non prodeunt niſi ab efficiente determinato & affecto certis conditionibus, & diſpoſitionibus; quę ideo ſunt operationibus natura priores; ac propterea prius a nobis ordinem naturæ ſectantibus conſiderandæ: Porro proprietates quum ſint accidentia; & circuant omnia fere accidentium prædicamenta; quumque omnia accidentia duas in claſſes quoad originem referantur; nam alia conueniunt ſubſtantiæ compoſitæ ratione formæ, alia ratione materiæ: quumque materies in compoſito ſit b prior forma; merito accidentia, quæ conueniunt compoſito ratione materiæ, priora ſunt ijs, quæ competunt eidem ratione formæ: quum igitur quantitas conſequatur materiam, alia ferme omnia accidentia formam; ideo quantitas in compoſito prior eſt natura quouis alio accidente. Ad quantitatem vero duæ præcipuæ paſſiones referuntur in Mundo, & Homine ſpectabiles; Vnitas, quæ quantitatem diſcretam reſpicit, & molis magnitudo finita, quæ continuam: Quare de his ante omnia ſermo nunc eſt inſtituendus. Vnitas autem Mundi etſi negaretur a pleriſque veterum; nam vt eſt apud c Plutarchum, Metrodorus ita putabat abſurdum eſſe vnicum eſſe Mundum in infinito, vt abſurdum eſt vnicam naſci ſpicam in magno agro: infinitos autem eſſe Mundos oportere, quod ſint infinitæ cauſſæ, atomi ſcilicet ac elementa; cauſſis vero effectus eſſe debere proportionatos. Sed nec infinitum, nec vllum ſpacium extra Mundum eſſe docuit d Ariſtoteles: nec infinita eſſe rerum principia demonſtrauit idem e Philoſophus: nec infinitis principijs exiſtentibus, opus eſt Mundos eſſe infinitos; quia vnicũ Mundum Anaxagoras ponebat

a 1. phyſ. t. 56. 1. cæl. t. 33.

b 1. phyſ. t. 52.

c 1. de plac. c. 5.

d 1. cæli t. 100.

e 1. phyſ. t. 50.

ex infinitis principijs coagmentatum: nec minori nego-
tio refellas Epicuri, Lucretij, & Democriti placita de
Mundorum Multitudine: Quare melius cum Stoicis,
Empedocle, Thalete, Platone, ac Ariſtotele conſtituen-
dum eſt Mundum eſſe vnicum; nam reuera Mundus ita
eſt vnus numero, vt ſit vnus etiam ſpecie; ac vnitatem
f 1. cęl. t. 99 quidem numericam habet ab vnitate materiæ, qua *f* to-
ta conſtat; ſpecificam vero ab vnitate formę; immo vtrã-
g 12. meta. t. 49. que ab vnitate *g* formæ: Quare *h* Ariſtoteli Mundus
h 1. cęl. t. 76 & ſeqq. ita eſt vnus numero, vt non ſit, nec eſſe valeat vlla ra-
tione multiplex. Homo vero proximam huic habet
vnitatem ſpeciei; nam eſt vnus ſpecie ſpecialiſſima; quæ
atoma eſt; & ab Ariſtotele quandoque donatur nomine
i 1. poſt. t. 30. *i* indiuidui, & *k* ſingularis: & reuera Magiſter aliquan-
k 2. poſt. t. 82. do Mundi totius vnitatem cum Hominis vnitate com-
parauit, nimirum *l* vnitatem ſpecificam: immo & alibi
l 12. meta. t. 49. *m* ex profeſſo comparans Ariſtoteles vnitatem Mundi
m 1. cæl. t. 93. 94. 95. numericam cum vnitate numerica pariter Hominis, ait
ideo Mundum eſſe vnum numero, quia conſtat ex tota
materia, ſcilicet ex vniuerſo naturali, & ſenſibili corpore
(definiuntur etenim vnũ numero ea eſſe, quorũ eſt vna
n 5. meta. t. 12. *n* materia numero) ait enim, *o* *Similiter autem &, ſi carnes
& oſſa materia ſunt in homine, ſi ex omni carne & oſſibus non poten-*
o 1. cęl. t. 94 *tibus diſſolui homo fieret, non vtique contingeret alium eſſe homi-
nem.* Sed & ſacri *p* Doctores etiam inter Mundum, &
p D. Baſil. & Perer. in Geneſ. c. 1. Hominem agnoſcunt vnitatis analogiam; qui ſic Mun-
dum eſſe fatentur vnum, vt valeat a Deo in plurimos, ac
infinitos multiplicari; & Hominem adeo numero mul-
tiplicem & infinitum fere cognoſcunt, vt aliquando fue-
q Geneſ. 1. rit a Deo factus *q* vnicus numero. Maiorem igitur ha-
bet analogiam homo cum Mundo in vnitate, quam quę-
libet alia natura; ſiquidem elementa, miſta, vegetabilia,
bruta, & Angeli multiplici ſpecie diuerſificantur, vt ita
di-

dixerim, ſolus Homo ſpeciei eſt vnius, ac indiuiſibilis; vt Mundus in vnitate ſpeciei habet vnitatem indiuidui. r 12. meta. t 49.

Mundi, & Hominis æque finitam eſſe magnitudinem. Cap. XI.

CORPOREAM quum habeat & Mundus, & Homo naturam; corporea vero moles quum neceſſario finita ſit, vel infinita; non conuenit inter omnes, an Mundus cum Homine conueniat in mole finita, vel infinita. Qui enim Veteres cum *a* Democrito, Epicuro, & Metrodoro poſuere Mundos numero infinitos, & Homines pariter numero infinitos; ijs vt ſinguli Mundi, & ſinguli Homines finitam obtinent molem ſui corporis; ita ex omnibus Mundis aggregata congeries, & ex infinitis hominibus congregatus cumulus, vt ita dixerim, habet neceſſario molem ſimiliter infinitam: ſed eorum, quicumque ponunt vnicum eſſe Mundum multos homines intra ſe continentem, vt omittam Plinium, cui placuit eleganter dicere, *b* Mundum eſſe finitum infinito ſimilem, quaſi finiti ad infinitum eſſet aliqua *c* proportio, & ſimilitudo; tres claſſes inueniuntur; nam alij cum Ariſtotele dicunt Mundum eſſe *d* finitæ molis, *e* infinitæ durationis; nullam *f* extra ſe magnitudinem habentis; Alij poſt *g* Empedoclem, Stoicos, & Diogenem, vt *h* Conimbricenſes, extra Cælum, & Mundum ponunt ſpacium infinitum in Vniuerſo; adeoque Vniuerſitatem entium ſtatuunt eſſe infinitam; aggregatum ſcilicet ex Mundo, & immenſo ſpacio; quod ideo ponunt infinitum, vt in eo Deus immenſus, ac infinitus apte collocari poſſit. Alij denique Mundum ponunt aliquando factum eſſe finitæ magnitudinis, at infinitæ durationis

a Plut. 1. de plac. cap. 1
b lib. 2. c. 1.
c 1. cæl. t. 64
d 1. cæl. 33. & ſeqq.
e 8. phyſ. t. 1. & ſeqq. 1. cæl. t. 20. & ſeqq. & t. 103. & ſeqq.
f 1. cæl. t. 99 100.
g Plut. de plac. phil. lib. 1. c. 5. & lib. 2. cap. 1.
h 1. cæl. t. c. 97. & 8. phyſ. qu. 2. ar. 4.

in æternum;vt ſacri Doctores. Nos vt opinionem Ariſtotelis, ac Theologorum de Mundi mole finita complectimur, ob rationes ab *i* Ariſtotele promulgatas; quas non eſt vt hic referamus; ita placitum Empedoclis, Diogenis, Stoicorum, & Conimbricenſium de ſpacio infinito extra Mundum recipere non poſſumus; tum quia Deus incorporeus, ac immaterialis omnino quum ſit, non indiget ſpacio, nec aptus eſt eſſe in loco, vt ait *k* Ariſtoteles: tum quia tale ſpacium a Conimbricenſibus nec ens reale, nec ens rationis eſſe dicitur; extra quæ duo entium genera nihil eſſe poteſt: Similiter etiam dogma Philoſophi de Mundi æternitate non apte congruere patitur Mundi molem finitam cum finita mole corporis humani abſolute; quia licet Mundi, & Hominis cuiuſque ſigillatim magnitudo finita ſit; attamen ſi aggregatum ex omnibus hominibus in tota æternitate concipiamus animo; numero quum ponantur homines infiniti per concatenatam ſucceſſionem æterni temporis inuicem adhærentes; horum cumulum in vnā congeriem, ac maſſam mente concipere nequimus ſine molis infinitate; quæ cum mole Mundi finita *l* nullam habere poteſt proportionem. Reliqua eſt tertia ſententia Sanctorum Patrum, quæ ſola vera eſt, conſtituens Mundum eſſe vnum numero, ab initio temporis, non ab æterno, conditum a Deo, ſemper duraturum, finitæ molis; in quo non perpetuo fiet Hominum procreatio; ſed hæc terminabitur aliquando, ad vltimam diem Vniuerſalis Iudicij. Qua quidem ſententia ponitur Mundus finitæ molis; & illi proportionatus Homo tum quilibet, tum aggregatus ex omnibus finitum numerum non excedentibus, molem ſimiliter obtinens finitam: vt propterea recte dixerit *m* Ariſtoteles, *Mundus eſt compages è cælo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea conti-*

i 1.cæl.t.33 & ſeqq.

k 1.cæl.t.100.

l 1.cæl.t.64

m lib. de mund. c.2.

nen-

nentur. Dicitur etiam aliter Mundus, ordo & digeſtio Vniuerſorum, quæ a Deo & per Deum aſſeruatur. Huius ſitum medium immotum & ſtabilem Terra, vitæ fecunditate prædita, ſortita eſt: animantium quidem illa omnifariam diſtinctarum ſedes, & parens: Huius Vniuerſitatis ſuprema pars omnis omnem in partem finita eſt, & terminata. Ita ergo Mundi, & Hominis magnitudo finita eſt.

De Mundi, & Hominis figura circulari.
Cap. XII.

VIſis iam quantitatis affectionibus, præſtat nunc animaduertere paſſiones qualitatis in Mundo, & in Homine. Porro terminus finitę molis corporea nuper in Mundo, & in Homine ſpectatæ, nihil aliud eſt, quam figura; quę ad quartum genus qualitatis ab *a* Ariſtotele redigitur. Cæterum non omnium *a* præd.
eſt de figura Mundi conſenſus; nam qui Mundum molis Qualit.
infinitæ ponunt, ij Mundo nullam omnino figuram ineſſe dicunt; quippe figura eſt terminus magnitudinis finitæ: Qui vero Mundo vt molem finitam, ita & figuram aliquam neceſſario adſcribunt; varias in ſententias abierunt: Apud *b* Plutarchum Epicurus cenſuit Mundum *b* 2. de plac.
non habere determinatam figuram, ſed habere poſſe phil. cap. 1.
globoſam, poſſe, & non globoſam: *c* Cleombrotus aſ- *c* Plut. de
ſerit Mundi figuram eſſe triquetram: Demetrius ait orac. def.
Homerum opinari cælum extremum elementa continẽs habere figuram duodecim baſium, ob varietatem motus, & multitudinem laterum; quod illam figuram maxime conuerſionibus, motibusque animalibus congruere
exiſtimaret. Alij Mundum eſſe turbinatum cenſuerunt, *d* 2. de plac.
d Plutarchi teſtimonio. Dalechampij *e* Pliniani relatu, phil. cap. 2.
Sanchumatus Berytius, antiquiſſimus rerum Phœniciæ *e* Plin. lib. 2 c. 2. in annot.

ſcriptor, ex Philone Byblio, Mundum ſimilem eſſe vult Ouo quoad figuram: quam opinionem auctoris nomine
f 1. de plac. c. 2. ſuppreſſo refert etiam f Plutarchus. Macrobius g in Sa-
g lib. 7. c. vlt. turnalibus ait, Initiatos ſacris Liberi Patris Ouum hac veneratione colere, vt ex forma tereti, ac pene ſphærali, atque vndique verſum clauſa & includente intra ſe vitam, Mundi ſimulacrum vocetur: Quod hauſerat a Plu
h lib. 2. c. 3. tarcho, in h Sympoſiacis aſſerente, Ouum ideo conſecratum eſſe in Orgijs Bacchicis, vt exemplum omnia gignentis, & in ſe continentis Mundi. Sed & apud Probum Grammaticum Varro in Logiſtorio ſcribit, *Mundus ideo repræſentat Ouum, quia cælum eſt veluti teſta, terra veluti vitellum; aer, & ignis eſt inter illa duo quaſi concluſus humor albugi-*
i in Plin. l. 3. c. 2. *neus, in quo calor.* i Dalechampius ex Probo, & Cyrillo memorat quoſdam voluiſſe Mundum eſſe figuræ litteræ *α*, in qua extremum lineamentum Oceanum repræſentat, cingulum Mundi: Cæterum hi Mundi nomine globum ex terra, & aqua compactum intellexiſſe videntur. Conteſtatur idem ex Ariſtophane in Pluto, ex Socrate, Lactantio, & Auguſtino, Mundi figuram hemiſphæricam eſſe. Verum hæc omnia dogmata falſitatis con-
k 1. cæl. t. 7 & ſeqq. & 2. cæl. t. 7. & ſeqq. uincit Ariſtoteles, aperte k demonſtrans Mundi figuram eſſe globoſam, & exactiſſime l ſphæricam; cuius opinionis etiã Stoicos extitiſſe cultores teſtatur m Plu-
l 2. cæl. t. 32. & de mund. c. 2. m 2. de plac. c. 2. tarchus. Hominis autem figura etſi nunquam fuerit exactiſſime rotunda, vt in Sympoſio Platonis Ariſtophanes fabulatur in hæc verba, *Præterea tota cuiuſque Hominis ſpecies erat rotunda; dorſum, & latera circumhabens, manus quatuor, totidemque crura; vultus item duos tereti ceruice connexos, & omnino conſimiles: caput vtriſque vultibus contrauerſis, vnum: aures quatuor, genitalia duo, & alia ſingula, vt ex his quiſque conuenienter excogitare poteſt: incedebat tunc & rectus, vt nunc, in vtram partem vellet; & quoties celerius ire contenderet, inſtar co-*

rum,

Digitized by Google

rum, qui prono capite crura ſurſum circumferentes circularem choream exercent, tunc cœlo membris innixus celeri circulo ferebatur. Nihilominus circularis figuræ in humano corpore ſpectabitur, ſi conſideretur homo diuaricatis cruribus, & expanſis brachijs; quia circini crure ad vmbilicum firmato, poterit alter per ſummos manuum, ac pedum digitos in orbem perduci: Qui circulus nihilo ſecius exactus erit, quam orbis ille, qui a *n* Mathematicis, & a *o* Philoſophis terræ tribuitur, in qua montium altitudines, & vallium multæ profunditates habentur. Quam quidem Humani corporis figuram circularem ſphæricæ Mundi figuræ coaptauit *p* Auerroes, & ante ipſum innuit *Ariſtoteles* *q* aſſerens, ſi nobis adnatus eſſet aer circulariter, videremur vno quodam ſentire & ſonum, & colorem, & odorem: & *r* inquiens, ſi quis circumponat ſphæram corpori habenti dextrum, & ſiniſtrum; talem figuram circularem ab eo non tollere differentias dextri, & ſiniſtri; ſed illas in eo ſenſibus occultare. Sed hac de re preclare † Rhodiginus ex Iulio Solino, qui in * Polyhiſtorico ait, Quantus manibus expanſis inter digitos longiſſimos modus eſt, tantum conſtat eſſe inter calces, & verticem: ideoque Phyſici hominem minorem Mundum eſſe iudicarunt. Quin & ſupra, circularem figuram ea ratione notauimus ineſſe humano corpori, quod ſingulæ partes ipſius in orbem a natura configurantur; nam caput ſphæricum tereti collo ſuperimponitur; ſub collo rotundum pectus reſidet, copulatum infimo ventri orbiculari; qui coxis, tibijſque teretibus innititur; brachiorum pariter, ac digitorum teretem figuram aſpicimus: membra præcipua ſimiliter globoſa figura donantur, cerebrum, cor, hepar, teſtes; immo etiam minus præcipua, oculi, renes, pulmones, ventriculus, vrinaria, felleaque veſica; teretem figuram obtinent venæ, oſſa, ner-

n Cleomed. 2. de mund. Clau. apud Sacrob. cō. in c. 1.
o 2. phyſ. t. 17. 2. cæl. t. 76. & t. 104. & ſeqq.
p 2. cæl. t. c. 13.
q 2. de an. t. 110.
r 2. cæl. t. 13.
† lib. 2. c. 21.
* cap. 5.

ui, arteriæ, inteſtina: Quin & homo degens in vtero matris figuram globoſam retinere videtur; ad omnium fere aliorum animalium differentiam; vt notauit Ariſto-
f de hiſt. an. lib. 7. cap.8. teles inquiens; *f Situs in vtero quadrupedum omnium extenſus eſt; expedum autem obliquus, vt piſcium; bipedum vero inflexus, contractusque, vt auium; homo etiam in ſemet conglobatus ſic geſtatur, vt naſum inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat*.
t Io. Valu. lib.3. c.16. Quod etiam obſeruant t Anatomici oculari fide, addentes Ariſtotelico dicto, fœtum calcaneis contingere nates, & glomerari in effigiem glomi: ſed Columbus
u lib. 12. anat. in f. apertiſſimis verbis ait, *u Quocumque autem ſitu ex hoc triplici totıes enumerato nos vterus exceperit; in globum atque orbem excipimur, ſphæricusque eſt omnis ſitus infantis in vtero*. Sic igitur etiam in figura circulari maximus eſt Mundi cum Homine conſenſus.

De loci poſitionibus Homini, Mundoque ſimiliter conuenientibus. Cap. XIII.

ANimalis cuiuſque figura corporea neceſſariam habet relationem ad loci poſitiones, quas differentias loci nuncupamus: eas inuicem oppoſitas agnouit
a 2.cæl.t.7. & ſeqq. a Ariſtoteles numero ſex, vnicuique dimenſioni duas; nam b longitudinis prin-
b 2.cæl.t.8. cipium dicitur ſurſum, finis vero deorſum; latitudinis autem principium proprie vocatur dextrum, finis autem ſiniſtrum; profunditatis demum principium nominatur Ante, finis vero Retro: Has omnes differentias ineſſe ait Ariſtoteles corporibus perfectis c; at omnium perfe-
c 1.cel.t.4. ctiſſima corpora ſunt Mundus, & d Homo: Quare vt
d 2. de an. t. 29. Homo, ſic etiam Mundus obtinuit omnes differentias
6.ethic.c.7 poſitionis, ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrum, ante, ac re-

retro. Quæ quidem loci differentiæ vt in Homine ſunt omnibus eædem certæ, ac determinatæ; nam ſurſum eſt caput, deorſum pedes, ante facies pectus & abdomen, retro nuca dorſum & nates; dextrum latus & ſiniſtrum notiſſima; ſic in Mundo controuerſæ ſunt, ac e latent ob circularis figuræ diuerſitatem partium occultantis exactiſſimam ſphæricitatem, nam Cleomedes, relatu f Cœlij, cenſuit Mundi ſurſum eſſe totum Cælum, deorſum Terram, Ante partem Occidentalem, Retro Orientalem, Dextrum Septemtrionalem, Siniſtrum Auſtralem: Quam opinionem ſectatus g Ouidius dixit

Vtque duæ dextra cælum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis,

nam præter Zonam torridam duæ ſunt Boreales, & duæ Auſtrales. Et h Lucanus in eamdem ſententiam ſcripſit de Arabibus Romam aductis,

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

nam in Arabia felici Sol in Cancro degens mittit vmbras verſus Meridiem, Romæ vero ſemper in Septemtrionem. i Varro viciſſim Orbis anteriorem partem ait eſſe Meridiem; poſteriorem Septemtrionem, dextram Occidentalem, ſiniſtram Orientalem. Quod placitum coluere Plinius, & Alcinous. k Galeni relatu, Pythagoras, & Plato, nec non Ariſtoteles Mundi dextras ad Ortum partes eſſe dixerunt, a quibus ſit principium motus; ſiniſtras vero Occiduas. Empedocles autem dextras quidem æſtiuum tropicum, ſiniſtras in hibernum reiecit. Et T. l Liuius, Augurum ſcientia (inquit) dextras ad Meridiem partes ſtatuit, ad Septemtrionem ſiniſtras. Hæc omnia præter Cœlium, adnotauit etiam m Pierius. Homo mirifice poſitionis differentias proportionatas habet cum Mundo; nam vt ſemper caput ad Cælum extol-

e 2. de cæl. t. 13.
f lib. 1. cap. 10.
g 1 metam.
h lib. 3. verſ. 247. 248.
i 6 ling. lat. fragm.
k de Hiſt. phil.
l 1. ab Vrb. C.
m l. 3. Hierogl. in Tauro.

tollit,& pedes in terra figit; ita dextram ſuam modo ad Boream, modo ad Auſtrum, modo ad Occiduas, modo ad Orientales Mundi partes vergit; ſimiliterque ſiniſtram,poſticam,& anticam. Cęterum ad maiorem Mundi, & Hominis analogiam in propoſito declarandam, ſolus Homo cum Vniuerſo videtur habere proportionatas loci differentias; ſolus inquam,quia plantæ carentes dextro, ſiniſtro, ante, ac retro; quippe non habent latitudinem,ac profunditatem diſtinctas, & determinatas;obtinent certam longitudinem, cuius principium eſt ſurſum,ac finis deorſum; ſed principium longitudinis,ac ſurſum in plantis eſt earum radix; finis vero longitudinis, ac deorſum in plantis eſt in extremitate ramorum; adeoque ſurſum plantarum non vergit ad ſurſum Mundi, nec deorſum plantarum reſpicit deorſum Vniuerſi; ſed viciſſim plantarum ſurſum in radice poſitum coniungitur in terra cum deorſum Mundi; & ſtirpium deorſum tendit in ramis ad ſurſum Vniuerſi;quod obſeruauit aduerſus Empedoclem n Ariſtoteles inquiens, *Empedocles autem non bene dixit hoc, addens augmentum accidere plantis, deorſum quidem, quum radicantur, propterea quod terra ſic fertur ſecundum naturam; ſurſum autem, propterea quod ignis ſimiliter: Neque enim ſurſum, & deorſum bene accipit; non enim idem ſurſum, & deorſum omnibus, & ipſi Vniuerſo; ſed vt caput animalium, ſic radices plantarum ſunt: ſi congruit inſtrumenta dicere diuerſa, & eadem operibus.* Hinc non male Hominem eſſe arborem inuerſam,dicunt Academici,licet aptius dicerent, Plantam eſſe Hominem inuerſum. Conſimiliter animalia bruta ſuas differentias poſitionis non coaptant ad differentias conſimiles Vniuerſi; nam bruta prona incedunt,adeoque ſuum ſurſum,& anticam partem vergunt ad deorſum Mundi; poſteriora ſua promouent ad Cælum verſus ſurſum Vniuerſi. Solus Homo caput ad ſidera

n 2. de an. t. 38.

ra tollens, habet ſuum ſurſum ſpectans ſurſum Mundanum; pedes, & infernas partes excrementorum exitui deſtinatas ad terram porrigens, obtinet ſuum deorſum collimans ad deorſum Mundi. Et quum Mundi dextrum ſit Oriens o Ariſtoteli, & ſiniſtrum ſit Occidens: quumque Oriens, & Occidens in cælo ſit indeterminatum; nam quod Anglis eſt Oriens, id Indis eſt Occidens; ita Homo ſuum dextrum, & ſiniſtrum indeterminate ad quamcumque Mundi plagam cæleſtem vertere poteſt: idem dicendum de Septentrione, & Auſtro; deque ante, ac retrò corporis Humani. Niſi etiam dicere velimus Hominem in noſtro Hemiſphærio collocatum attollere caput ſuumque ſurſum verſus polum arcticum Zodiaci, quæ pars eſt ſurſum orbis planetarum; ſuumque deorſum vergit ad Zodiaci polum antarcticũ, quæ pars eſt deorſum orbis planetarum: dextrum habet Homo ad Orientem proprium planetarum, & ſiniſtrum ad Occidentalem partem eorumdem. Anteriorem partem Homo vergit ad Auſtrum, dorſum ad Septentrionem proferens, naturaliter ad calorem Auſtri, vt puta ad vitale principium inclinans, & ab Aquilonis frigore mortifero refugiens. Conſimiliter Antipodarum Indicas regiones incolentium ſurſum, & deorſum correſpondet cum ſurſum, & deorſum primi mobilis; eorumdemque dextrum, & ſiniſtrum proportionatur dextro, & ſiniſtro primi Mobilis. Vt hac ratione Hominis abſolute cum Cælo, & Mundo ſint conſentientes, & proportionatæ poſitionum differentiæ. Sed & quilibet homo, vt diximus, caput extollens in ſublime verſus locum læuium, & cœlorum; pedesque figens in terram; plane habet ſurſum, & deorſum ſuum commune, atque proportionatum cum Vniuerſo, ad plantarum diſcrimen; vt ait Ariſtoteles etiam alibi dicens, p *Erectiſſimum animalium eſt homo;*

o 2. de cœl. t. 5.

p de reſpir. c. 13.

mo; & ſurſum ad totius ſurſum habet ſolum; propterea quod talem
q 2.de part. c.7. *habet hanc particulam;* & alio loco ſcribens, q vnum hominem eſſe rectæ ſtaturæ inter animantia cuncta, quod
3.de part. c.6. ſit omnium viuentium calidiſſimus; & caloris ſit ſurſum petere. Cæterum multo prius exactiſſime theoriam
r 1.hiſt. c. 15. hanc Ariſtoteles propoſuerat inquiens, r *Habet homo ſuas partes ita diſpoſitas, vt in eo & ſuperius ſit, & inferius, & prius & poſterius, & dextrum & ſiniſtrum. Conſtat ſane dextrum & ſiniſtrum ex ſimilibus fere partibus, atque eiſdem: verum ſiniſtra omnia ſunt imbecilliora: at poſteriora prioribus, & ſuperiora inferioribus diſcrepant: præterquam quod inferiora ſimilitudinem ſuperiorum præferre ea ratione dixerim, qua venter imus reſpondere aſſolet faciei in corpulentia & gracilitate; & crura cum brachijs communem ineunt rationem,* &c. & mox, *Ergo ſuperiora, inferioraque hominem omnium maxime animalium habere ratione locorum naturalium intelligimus: eius enim partes, tam ſuperiores, quam inferiores, ad ſitum orbis Vniuerſi ſuperiorem, inferioremque diſpoſitæ ſunt: Itidem quæ priores, poſterioreſque, atque etiam dextra, ſiniſtraque habentur; quum cæterorum animalium genus, vel omnino reſpectu eiuſmodi careat; vel confuſius ita conſtet: caput itaque cæteris omnibus ſuperiorem obtinet ſitum, corporis ſui ratione: at homo, quoniam, vt modo diximus, ad Vniuerſi orbis habitum inſtitutus eſt, idcirco partem etiam iſtam habet reſpondentem parti ſublimi Vniuerſi.* Sed & dextrum, & ſiniſtrum in Mundo conſtat ex ſimilibus fere partibus, atque eiſdem; nam quod Italis dextrum eſt, ac Orientale Sinenſe regnum, id Peruanis eſt Occidentale, atque ſiniſtrum; quodque Italis Occidentale, ac ſiniſtrum eſt Britanniæ regnum, id Orientale, ac dextrum eſt Americanis. Quin & Italis imbecilliora ſunt omnia occidua, & cæteris ſimiliter. In Mundo pariter poſteriora prioribus diſcrepant; quis enim ignorat variam conſtitutionem aſtrorum Borealium, & Auſtralium? diſcrepant & ſuperiora inferioribus;

bus;

Digitized by Google

bus; quis non agnouit cæleſtia plurimum a terreſtribus diſtare, ac variare? ſed & inferiora Mundi ſimilitudinem ſuperiorum præſeferunt; etenim Aſtronomi, Coſmographique circulos, & partes in cælo degentes habere volunt circulos, & partes ſibi proportione correſpondentes in terra; nam cælum a circulis ſphæralibus diſtinguitur in quinque Zonas, ſiue regiones; de quibus Virgilius in ſ. Georgicis; ſ lib.1.

Quinque tenent Cælum Zonæ, quarum vna corruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igne:
Quam circum extremæ dextra, læuaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Munere conceſſæ Diuum, & via ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.

Diſtinguuntur etiam totidem plagæ in terra directe prædictis Zonis ſuppoſitæ; vt adnotat t Ouidius ita, t 1 metam.

Vtque duæ dextra cælum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramque locauit,
Temperiemque dedit, miſta cum frigore flamma.

Quin & ſacra pagina Gloſſographo ſex poſitionis differentias Mundo adſcribit correſpondentes totidem in Homine exiſtentibus; ipſo in u additionibus illas enumerante, ac adnotante in hanc ſententiam, *Quidam expoſitores Hebræorum dicunt, & forte bene, quod Pſalmus hic numerat ſex differentias poſitionis Mundi; ſcilicet ſurſum & deorſum; & hoc quum dicit, Tui ſunt cæli, & tua eſt terra: conſequenter ſiniſtrum, & dextrum; & hoc quum dicit, Aquilonem, & dextrum tu creaſti: conſequenter Ante, & retro; & hoc quum dicit, Thabor, & Hermon: Thabor enim eſt in parte Occidentali reſpectu terræ promiſſionis, &* u pſal.88. addit.1.

Digitized by Google

ſic eſt retro; Hermon in Orientali, & ſic eſt ante: quod dicit Pſalmiſta, Omnes differentiæ poſitionis, in quibus Mundus conſiſtit, in tua ſunt potentia. Quin & Lyranus in Thobiam, *qui dicitur ex tribu & Ciuitate Nephthali, quæ eſt in ſuperioribus Galileæ ſupra Naaſon, poſt viam quæ ducit ad Occidentem, in ſiniſtro habens Ciuitatem Sephet,* ait, *ſecundum Philoſophum dextrum Mundi eſt Oriens, vnde incipit motus cæli, & Occidens ſiniſtrum: ſecundum vero communem modum loquendi, quem magis ſequitur ſcriptura ſacra, ſiniſtrum Mundi eſt illud, quod eſt ad ſiniſtrum hominis verſa facie ad Orientem: & ſic pars Aquilonaris eſt ſiniſtra pars Mundi: Ciuitas vero Sephet eſt in Aquilonari parte reſpectu Nephthali.* Vnde patet etiam e ſacris litteris, differentias poſitionis Hominis correſpōdere differentijs poſitionis Vniuerſi; quia ſtans Homo verſa facie ad Orientem, habet caput verſus cælum, pedes in terra, vultum ad Orientem, tergũ ad Occidentem, dextrum ad Meridiem, ſiniſtrum ad Aquilonem.

cap. 1.

In Mundo, & Homine ſpectari ſimiliter quamdam imaginem Dei. Cap. XIV.

HAbet præterea Mundus cũ Homine præclaram illã ſimilitudinẽ, quod vterque dicitur eſſe quędã imago Dei; nam Vniuerſum factum eſſe ad ſimilitudinem Dei, clare Plato cōteſtatur in Timęo dicens, *Quocirca ſicut ratio nobis hæc probabilis perſuadet, dicendum eſt, hunc Mundum animal eſſe, idque intelligens, reuera Diuina prouidentia conſtitutum: Hoc poſito, quod ſequitur videamus, ad cuius animalis ſimilitudinem Deus Mundum conſtituit: Vni cuidam propriaque animalium ſpeciei ſimilem feciſſe, ne arbitremur; nam ſi imperfecto animali ſimilis eſſet factus, pulcher certe non eſſet: Immo vero illius animalis eum ſimillimum eſſe dicamus, cuius animalia cætera & ſingulatim, & generatim partes ſunt: Illud ſiquidem vi-*

*viuentia omnia, quæ ſola mente perſpiciuntur, in ſeipſo complectitur;
quemadmodum Mundus hic nos, & cætera quæ cernuntur animalia
continet. Volens itaque Deus omnia, quæ intelligi poſſunt pulcherri-
mo, & vndique abſoluto Mundum hunc ſimillimum reddere, animal
vnum ipſum effecit, aſpectui ſubiectum, animalia cuncta naturæ con-
uenientia intra ſuum limitem continens.* Eſt autem omnium
intelligibilium pulcherrimus, & abſolutus Mundus Ar-
chetypus ſolus ipſe Deus. Sic ergo Deo ſimillimum
Plato Mundum eſſe voluit, quod foret animal intelli-
gens, omnia intra ſe continens; nam Deus eſt purus
intellectus omnia in ſe continens; vel Ariſtoteli;
Mundus quidem continet in ſe cuncta materialiter;
Deus vero formaliter, ac eminenter; vnde Magiſter ait,
a Patet autem, ſic eſſe, quemadmodum in Vniuerſo eſt Deus, & vi- a 7. Eudem.
ciſſim cuncta in illo; mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis nu- cap. 18.
mine: atque alibi, *b Diuinæ enim prouidentiæ id opus eſſet, quæ* b 7. polit.
& hoc totum continet: Homo conſimiliter in ſe continet cap.4.
omnia virtute, ſiue vt aiunt ſcholæ, virtualiter; quo no-
mine non ſolum Ariſtoteles ait, *c* Omnia naturalia cor- c 2. de an.
pora eſſe animæ gratia; quin & *d* Hominem eſſe finem t.37.
omnium: in finali vero cauſſa contineri virtute omnia, d 2. phyſ.
quæ ad finem ſunt, certiſſimum eſt: Sed etiam ſacra pa- t.24.
gina ſcriptum habet præceptum Domini *e* Apoſtolis, e Marc.
Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. cap.16.
*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui autem non cre-
diderit, condemnabitur.* Vbi per omnem creaturam intel-
lexit Hominem; qui quum ſit finis, cuius gratia, ſeu cui
à Deo conditæ ſunt omnes creaturæ, dicitur apte om-
nis creatura; & continere in ſe virtute omnem creatu-
ram. Sic ergo Deo cuncta in ſe formaliter, ac eminen-
ter continenti, ſimilis eſt tum Mundus omnia in ſe con-
tinens materialiter, tum etiam Homo continens in ſe
omnia virtute. Præterea Mundi ſimilitudinem hanc

cum

f 16. de im. an. c. 6. cum ſummo Deo coluit magnus ille Ficinus, cui *f Voluit Diuinus artifex Mundi opus ſibi quam ſimillimum facere: tale autem eſt, ſi vbique ſit ratione pleniſſimum: Profectò vt in ipſo ratio eſt, & vniformis ſimul, & omniformis; ſic in opificio ſuo animam vnam rationalem eſſe voluit, atque multas; vnius ſcilicet ſpharæ vnam, multasque multarum.* & mox. *Quare oportuit in media quoque mundi ſede talia quædam eſſe, vt eſſet in omnibus mundi membris rationalium turba quam plurima, quæ hoc ornet colatque Dei templum, atque Deum artificem canat, & laudet: id agunt in altioribus ſphæris mentes aliæ, id agunt humanæ mentes in terra.* Nimirum Marſilius hic Mundi cum Deo, & hominis cum Deo, & Mundo ſimilitudinem eam eſſe vult; quod vt in Deo eſt ratio vniformis ſimul & omniformis, nam eſt mens, ac intellectus vnicus ac ſimplex, omnia perſpiciens, & omnium intellectuum rationes in ſe habens: ita non ſolum Mundus eſt ratione pleniſſimus, quod & in ipſo ſit vniformis ratio ſimul, & multiformis; vniformis, quia Vniuerſi forma eſt vna tum ſpecie, tum numero, Diuina mens, vt ait g Ariſtoteles: omniformis, quia in Mundi partibus continentur omnes formæ, omneſque mentes, animæque rationales: Verum etiam Homo eſt ratione pleniſſimus, quod & in ipſo ſit vniformis ratio ſimul & omniformis; vniformis, quoniam homo quilibet vnicam habet in ſe animam rationalem, per quam eſt *h* homo, totam in toto corpore totamque in ſingula parte, adeoque toti homini coextenſam; vt nos olim fuſe demonſtrauimus in opere De *i* Animarum coextenſione corpori: omniformis, quia rationalis anima noſtra in voluntatem diuiditur, & intellectum; qui ſubdiuiditur in agentem, & poſſibilem: ac vt *k* Ariſtoteli poſſibilis intellectus definitur omnia fieri, eſſeque potentia *l* omnes formas, adeoque formam *m* formarum: agens autem definitur omnia *n* facere, hoc eſt, omnia actu intelligibilia, omneſque

g 1. meta. ſu. 2. c. 2. 12. meta. t. 49.

h 2. de gen. ani. c. 3.

i lib. 1. c. 26 & ſeqq. & lib. 2. cap. 2 & ſeqq.

k 3. de an. t. 18.

l 3. de an. t. 8. 14.

m 3. de an. t. 37. 38.

n 3. de an. t. 18.

for-

formas intelligibiles facere poſſe; ita voluntas humana omnia cupit, nulla Mundi parte contenta, Deum appetit, dum vltimum ſui finem deſiderat; Deum vero appetens, omnia appetit; quoniam in Deo ſunt omnia; quare ſapienter Seraphicæ Religionis Pater, nil aliud dicere ſolebat, niſi hæc, *Deus meus, & omnia*. Sic ergo Deo Mundus, Mundo, & Deo ſimilis eſt Homo apud Ficinum. Apud quem alibi o legimus Mundum, & Hominem pariter eſſe Dei ſtatuam, his notis, *Si fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, certe eſt in homine ſtatua Dei, quamuis addita mentis abſcondita. Primo igitur, ſepara corpus ab anima, ſecundo ab eadem corporeas paſſiones, tertio imaginationes a ratione, quarto rationales diſcurſiones ab intellectu, quinto intellectualem multiformitatem ab ipſa animæ vnitate, ſexto ab hac vnitate animalem intellectualemque conditionem, in ſeptimo gradu, vt arbitror, conquieſces; inuenies enim ipſam ſimpliciter vnitatem, id eſt Deum ſub tali quadam vnitate latentem. Mundum quoque Deus ſtatuam ſuam fabricatus eſt, ſed velaminibus multis opertam; ſubtrahe primo materiam, relinque cætera, iam habes vbique cælum, cui materiam ademerunt; deme rurſus cæleſti huic Mundo dimenſionem, ſerua formas, omneſque motus formarum, nactus eris animam Vniuerſi; tolle ſi placet motus, formis omnino ſeruatis, Vniuerſum mox poſſides intellectum; ſed huic auferto diuiſos inter ſe velut in cælo formarum radios, accipe lumen ipſum in ſe principium radiorum, nec diſperſum per radios, nec certis radiorum ſpeciebus determinatum, ſed abſolutiſſimum, & ſimpliciſſimum, & immenſum, quod & ipſum bonum eſt omni ſemper intelligentiæ, voluntatiſque conatu quæſitum; hac igitur ratione gradatim auferendo, Deum ipſum primo ex Mundo paruo, rurſumque ex Mundo magno feliciter inueniſti.* Sic igitur Ficino Mundus, & Homo dicitur eſſe Dei ſtatua, & ſimulacrũ, quod in vtroque lateat forma multis rebus velata, quæ ſit ſimplex intellectus; qualem Deum colimus. Hanc vero Mundi ſenſibilis cum Deo ſimilitudinem pulcherrimo

o com. in lib. de Tri. Dionyſ. Areop.

Digitized by Google

p lib. 3. metr. 9. rimo carmine celebrauit Boethius in p Conſolatione ſua Philoſophica dicens,

O qui perpetua Mundum ratione gubernas
Terrarum, cælique ſator; qui tempus ab æuo
Ire iubes; ſtabilisque manens das cuncta moueri;
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus; verum inſita ſummi
Forma boni liuore carens; Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo; pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente geris, ſimilique in imagine formans,
Perfectasque iubes perfectum abſoluere partes.

q lib. 1 lect. ant. cap. 17 Sed & apud Cœlium q legimus, Theologos veteres præcipere, Duo eſſe principis rerum Dei ſimulachra, Mundum, & Hominem. Ariſtoteles & ipſe præclare ſtatuit; Mundum eſſe quamdam imaginem Dei; quum enim agens ex profeſſo De Vniuerſi perfectione, aduocatis in ſuæ ſententiæ confirmationem, Pythagoreis, conſtituat Tria eſſe omnia, quæ ſunt principium, medium, & finis; ait enim citatis verbis, r *Tria ſunt omnia, & ipſum ter omniquaque: quemadmodum enim aiunt & Pythagorei, ipſum omne, & omnia tribus determinata ſunt; finis enim, & medium, & principium numerum habent eum, qui ipſius Omnis eſt: hoc autem eum, qui trinitatis eſt: quapropter & a natura accipientes, tamquam leges illius, & ad ſacrificia Deorum hoc vtimur numero.* (r 1. cæl. t. 2.) Nempe quum Naturæ lex ſit, ſuum vnicuique tribuere; Dei vero ſint omnia, vt conditoris, & Domini; iam in ſacrificijs Deum rerum omnium, adeoque totius Mundi conditorem, atque Dominum, gubernatoremque colentes, ei omnia offerre tenemur; id autem facimus tria illi offerentes; tria ergo ſunt omnia; Mundique proprius characteriſmus eſt Tria, quæ ſunt Principium, Medium, & Finis; ſane Mundus eſt Principium omnium rerum, quia eſt earumdem ſ cauſſa; Medium, quia eſt quid (ſ 5. meta. t. 1)

ex omnibus conſtitutum; ſic *t* Ariſtoteli miſtum, quod ex contrarijs elementis conſtituitur, dictum eſt eſſe inter ea medium: Finis, quia partes in ſuum totum ordinatæ ſunt velut in finem. Aſt ab eodem Ariſtotele Tria hæc, principium, medium, & finis rerum omnium Deo attribuuntur, veluti proprius item characteriſmus, vetuſtioribus etiam cognitus, & celebratus, ait enim alibi, *u Enimuero, Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem ſecundum naturam; e veſtigio comitem habens iuſtitiæ præſidem &c.* Sic igitur Ariſtoteli Mundus, qui eſt omnia, nempe tria, quod ſit principium, medium, & finis rerum omnium, recta linea ſemper incedens, hoc eſt eodem modo, ac iuſtitiæ ad normam ſemper edens opera naturæ; Dei eſt ſimilitudo, qui pariter ſemper agens ſecundum naturam ad iuſtitiæ regulam, eſt rerum omniũ *x* principium, a quo conditæ fuerunt; *y* medium, quo conſeruantur, & gubernantur, & *z* finis, in quem diriguntur. A qua theoria non abhorrent ſacri Doctores, qui Deum *a* Patrem agnoſcunt principium rerum omnium creatorem; Filium vero, *b* per quem omnia facta ſunt, quippe factus eſt homo, cui competit ex *c* Ariſtotele ratio finis rerum omnium, venerantur finem rerum vniuerſarum; at Spiritum Sanctum, qui Diuinus eſt Amor, & Diuina Voluntas, medium eſt, quo cuncta entia Deus produxit, conſeruat, & moderatur. Sic ergo Mundus eſt quædam imago Dei. Huc ea mirifice faciunt, quæ contra Gnoſticos differit de Mundo *d* Plotinus inquiens, *Diſpoſitionem Mundi plane demonſtrare naturæ intelligibilis magnitudinem, quod Mundus ſit ſtatua manifeſta Deorum intelligibilium, & pulcherrima. Quod ſi mundana hæc ſtatua* (inquit) *dum ſupernum imitatur exemplar, non eſt idem, profecto hoc ipſum naturaliter habet; alioquin imitatio illius minime foret;*

t 1. de gen. t. 89.
u de mund. cap. 7. in f.
x 12. meta. t. 38.
1. cæl. t. 100.
Geneſ. 1.
y 12. meta. t. 52. & ſeqq. 56.
z 12. meta. t. 39.
a Symb. Apoſt.
b Ioan. 1.
c 2. phyſ. t. 24.
d en. 2. lib. 9. cap. 8.

Quod autem obijcitur, diſſimiliter imitari, falſum eſt: nihil enim prætermiſſum eſt eorum, quæ pulchra naturaliſque imago poſſet habere.

e in com. Quæ ſic explicuit Ficinus eo e loci, *Sic itaque magnitudo & poteſtas & motus Vniuerſi mirabilem Diuinitatis poteſtatem nobis oſtendit; ordo mirificus ſapientiam, præſertim in tanta rerum varietate ſeruatus: vſus quoque ad optimum vbique conducens declarat proculdubio bonitatem; poteſtatem inquam, & ſapientiam, & bonitatem, non ſolum quæ ſit in Opifice, ſed quæ communicata etiam ſit opificio; alioquin non poſſumus opificij huius contemplatione talia de Opifice iudicare: qua mobrem ſatius admodum foret Vniuerſum hoc Platonico more, quaſi Dei ſtatuam honorare; & quæ in eo excellentiora ſunt, tamquam certiores ſtatuas idearum, quam Hæreticorum more vituperare: impium enim eſſe Platonici iudicant, ſtatuas Dei viuas ab eodem fabricatas, poſitasque in templo Mundano ad cultum legitimum omnibus demonſtrandum deſpicere: Non ſolum itaque Mundus Diuinam mentem diſſimiliter imitatur, ſed imitatur quoque ſimiliter.* Cæterum & alibi f Plotinus aſſeruerat, *Tum vero quænam pulchrior illius intelligibilis Mundi imago fieri potuit? quis enim ignis alter imago melior intelligibilis ignis quam noſter hic ignis eſſe poteſt? Item quæ terra præter hanc poſt illam terram? & quænam ſphæra perfecta magis atque veneranda, ac motibus ordinatior poſt illam intelligibilis mundi in ſeipſo complexionem? Denique Sol poſt illum alter ſuper viſibilem hunc Solem, quiſnam poſſit effingi?* Sic itaque Plotino quoque Mundus eſt imago Dei: Cui Ficinus adſtipulatur g alibi dicens, *Quemadmodum in Mundo ſenſibili, qui Mundi intelligibilis eſt imago, eſſentia quaſi materia per vitam formatur, & vita ſimiliter per intellectum, ſiue qualemcumque cognitionem, quæ intelligentiam repræſentat: ſic in Mundo intelligibili intellectus quidem eſt actus quidam vitæ, vita vero eſt actus eſſentiæ.* Verum enimvero licet Mundus intelligibilis ſit aggregatum ex omnibus intelligentijs infra Deum; quia tamen Mundus ille intelligibilis eſt imago Mundi Archetypi, qui Deus eſt; proinde Mun-

f en. 2. li. 9. cap. 4.

g in en. 1. l. 4. cap. 3.

Mundus ſenſibilis eſt etiam imago Dei. Quod & adhuc *h* antea notauerat Ficinus aſſerens, *Duos Platonici praecipue Mundos ponunt; Primum, intelligibilem ſcilicet, Diuinam mentem Mundi huius principium, & exemplar: ſecundum, ſenſibilem, hunc ſcilicet ſenſibus manifeſtum, Diuini exemplaris imaginem.* Et *i* infra dicens, *Sic itaque Mundus corporeus ſuperioris imago eſt, incorporeum Mundum referens velut exemplar;* adeoque ſimulachrum ſummi Dei. & adhuc infra *k* ſcribit, *Iam vero ſi quis poſſet totius Mundi viſibilis ornatum totum vno ſimul intuitu contueri, ſupra modum admiraretur, ac velut ex imagine quadam facilius mundum intelligibilem opificem huius ſuſpicaretur, ſed admodum pulchriorem.* Sic ergo Mundus eſt imago Dei, quod etiam Steuchus obſeruauit inquiens, *l Imaginem autem Dei eſſe hunc Mundum ſaepe praedicauerunt, habetque profundiſſimum myſterium: non poteſt enim iſto Mundo maius praeter Deum cogitari: Immenſitas autem Dei, quae nequeat intelligi, & percipi, rerum noſtrarum indicijs ſignificatur: Quod ſi Deus eſt maximus, immo vero infinitus, certe non habet niſi Mundum ſui magis ſimile. Erit autem Mundus apte imago Dei, ſi prius conſideres naturam rerum verarum, atque imaginum ipſarum: ſi conſideremus quid inter exemplaria interſit, primaſque ipſas res, atque earum ſimulachra: Ecce enim quam varia multi pliciaque ſunt ſimulachra, referentia ſcilicet res ipſas totas, vel earum aliquam partem, interiorem, vel exteriorem ſubſtantiam, & qualitatem, vt filij parentes ſuos: referunt enim cum primis humanitatem, quam ab eis acceperunt, nonnunquam ingenia, ſaepe colores, ac lineamenta, geſtus item, caeteraque id genus: ſunt alia rurſum ſimulachra ſimilitudinem tantum eorum, quae repraeſentant, reddentia; interuallumque eſt a ſimulatis ad vera maximum; ſic Mundus eſt imago Dei, reiecta quidem natura corporea; ſicut ex imagine humana in lapide, reijcis naturam lapidis, accepta tantum humana effigie: vt in lapide cognoſcis Hominem, ſic in Mundo Deus tibi repraeſentatur: Nihil enim cogitabit homo, toto Mundo maius; ſic quum magnitudinem Dei nullis viſibilibus exem-*

h en.1. lib. 3. cap.1.

i en.1. lib. 5 cap.4.

k cap. vlt.

l 3. de per. phil. c. 11.

pliſ (quoniam infima ſunt , exiguaque omnia) poſſis colligere, apparet tibi in toto Mundo. Cogites igitur Deum ita maximam, vniuerſalemque Naturam vbique præſentem , omnia videntem, audientemque , cuncta continentem ; nulla re complexum notionemque eius aufugiente , ſicut in Mundo cuncta continentur , nihilque non eſt in eo , per omnia circumeunte , ſeſeque extendente. Quid autem cogitabis de Deo verius ? quando ſi non humana mediocritas , minus item cætera animalia , terreſtres, aquaticæ , aeriæque res vllatenus , propter non modo mediocritatem , ſed cætera diſſimillima , potuerunt animis eum exhibere noſtris, vt indigniſſima ſit cogitatio, perinde ſi neſcienti Leonem, quis Muſcam, aut Formicam oſtenderet, ſimile quiddam Leonem eſſe dicens : ſic quicumque Deum alicui mundanæ rei aſſimilet, plurimum de maxima Natura detrahat : vt ſi Mundum ipſum , quis non maiorem , quam pingi ſolet , aſſerat ? Eſt igitur Deus maximus Mundus , ſicut diuerſa ratione , Homo paruus : eſt Mundus ſapientiæ , Mundus ſanctitatis , Mundus intelligentiæ, Mundus vitæ, rationum, formarum : ſed quoniam hæc inuiſibilia, & ipſe inuiſibilis Mundus , conſtans , ſi dicere fas eſt , ſed conſtans tamen ex inuiſibilibus rebus : ita quidem conſtans, vt non ex alienis , ſed ſuis, eoque maximus vnus Mundus : Proin qui Prouidentiam (pauci tamen) ſuſtulerunt, Deum non putantes ſentire , noſſeque mortalia , non viderunt huius Mundi magnitudinem , nec ſenſerunt eum ita vbique præſentem , ſicut aufugere non potes , quin ſemper à Mundo videaris, continearis. Hac ratione , Iouis omnia plena dixerunt. Et Aratus, omnes ſemitas, vbicunque concilia ſint hominum , omne mare, portus omnes, eſſe Ioue plenos, tamquam Mundo inuiſibili , omnia inuiſibiliter amplectente : Prædicauit hoc ille , m qui per Cælum , liquidumque elementum, ſidera , atque aſtra ; totamque molem , ac magnum Mundanum corpus immiſcere eum ſe ſe dixit , aſpectans & ipſe inuiſibilis iſtius Mundi vaſtitatem , per omnia ſic inuiſibiliter pertinentem , ſicut per omnia viſibiliter diffunditur viſibilis Mundus. Eadem ratione Deum dixerunt animum per omnes Mundi partes intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur : Vtique per omnes Mundi partes intentus

m Virgil. 6. Æneid.

tus æquat neceſſario totum Mundum viſibilem inuiſibiliter. Hoc dixit Pythagoras, maiorum Theologiam imitatus, eamque prædicans poſteris. Hinc quoniam Mundus eſt imago Dei, dixerunt Pythagorei, & Plato eſt eos ſecutus, Deum, qui Mundus ipſe intelligibilis eſſet, creaſſe Mundum ipſum, vt quaſi Mundus ex Mundo ſit natus, vixibilis ex inuixibili, minimus ex maximo, temporeus ex æterno, corruptibilis ex incorruptibili, viſibilis ex inuiſibili. Et Plato ſicut in iſto Mundo cuncta animalia viſibiliter, ſic τὰ γὰρ νοητὰ ζῶα πάντα ἐκεῖνο ἐν ἑαυτῷ περιλαβὸν ἔχει, καθάπερ ὁ κόσμος ἡμᾶς, ὅσα τε ἄλλα θρέμματα συνέστηκεν ὁρατά: *Intelligibilia, vel inuiſibilia, Mundum illum in ſe eſſe complexum; quemadmodum ipſi cæteraque animalia, contineamur ab iſto. Sentiens vero inuiſibilia animalia, quæ Mundo Diuino continentur, eſſe fontes illos, originesque rerum, quibus infinitus ſapientiæ diuinæ exuberat theſaurus, maximus que eſt Mundus ille, plenus ordinum, ac rationum, plenus formarum* νοητῶν, *non viſibilium, ſed ſola cogitatione licet debiliter apprehenſibilium more Diuino. Et Timæus Pythagoreus ipſum item Deum vocat* ἰνδαλλὸν κόσμον, *Mundum exemplarem, quaſi is cum illo gerat ſimilitudinem: ſed continens iſte cuncta viſibiliter, ille, vt illi loqui ſolebant, diuine, mentaliter, ſapienter, intellectualiter: non ad morem iſtius, qui corporaliter, corruptibiliter, viſibiliter continet, & diffunditur, ſed modo quodam ſuperiore, qui dicitur* νοητῶς, *per modum mentis, ſapientiæ, ratione a corporibus varia. Hancque illi diuiniſſimam creati Mundi rationem aſſignauerunt, quod corporeus, paruuſque Mundus, profectus eſt ex maximo, in quo rationes, formæ, principia, cauſſæ, erunt & ſunt, originesque innumerabiles. Neque enim ex nihilo factus eſt iſte Mundus, ſed factus ex originibus in maximo Mundo contentis, ex quibus ita tamquam ſeminibus ſuis cuncta in iſto naſci potuerunt, ſicut ſecreto, arcano, naturalique modo, in ſeminibus rerum, ſunt formæ earum.* Sic itaque Mundus eſt imago Dei: cuius & hominem eſſe ac imaginem conteſtantur omnes fere ſcriptores: nam Ariſtoteles non vno in loco tribuit Homini Diuinitatem; in primis enim ait,

n2.de part. *n Quale hominum genus eſt; quippe ad vnum ex omnibus anima-*
a cp. 10. *bus nobis cognitis Diuinitatis particeps ſit, aut omnium maxime.*
o4.de part. Deinde ſcribit, *o Solus enim animalium omnium erectus eſt homo;*
cap. 10. *quoniam eius natura atque ſubſtantia Diuina eſt; officium autem Di-*
p 9. Hiſt. *uini eſt intelligere, atque ſapere.* Deinceps infit, *p Homo enim*
cap. 1. *natura perfectiſſima eſt.* Cæterum apertiſſime *q* ſacra pa-
q Geneſ. 1. gina nos docet, Hominem factum eſſe ad imaginem,
& ſimilitudinem Dei: Quam quidem imaginem, & ſi-
militudinem varij varie declarare ſatagunt; quia plurimi
Sancti Doctores eam in anima rationali detegunt; Be-
r Hexam. da ſiquidem Venerabilis ait, *r Non autem ſecundum corpus, ſed*
c. 1. 10. 4. *ſecundum intellectum mentis ad imaginem Dei creatus eſt homo;*
quamquam in corpore quamdam proprietatem habeat, quæ hoc indi-
cet; quia eſt erecta ſtatura, ſecundum quam corpus animæ rationali
congruit, quia in cælum erectum eſt. Lyranus etiam inquit,
ſ in Geneſ. *ſ Imago Dei conſiſtit in anima quantum ad proprietates naturales,*
1. *ſcilicet, memoriam, intelligentiam, & voluntatem; ſimilitudo au-*
tem in gratuitis; & ideo ſimilitudo eſt quædam perfectio imaginis;
quia gratia perficit naturam. Iudæi autem in gloſſa ſuper Pſalmum,
ponunt imaginem in anima quantum ad quaſdam alias proprietates;
primo, quia ſicut anima replet totum corpus, ita Deus totum Mun-
t 23. *dum, t Hierem. Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus. Item*
quia ſicut Deus vnicus eſt in ſuo ſeculo, ſic anima vnica in ſuo corpore.
Item quia ſicut Deus non inquinatur ſordibus orbis, ſic nec anima ſor-
dibus corporis. Item ſicut Deus videt omnia, & non videtur; u Exod.
u 33. *Non videbit me homo &c. ſic anima videt exteriora, & non videtur.*
Item ſicut Deus non dormit; x Pſalm. Ecce non dormitabit, neque
x 120. *dormiet, qui cuſtodit Iſrael, &c. ſic anima non dormit in corpore. Sed*
iſta aſſignatio imaginis videtur multum accidentalis; prædicta autem
eſt magis propria, quia ponitur in illis potentijs animæ, per quas effici-
tur capax ipſius Dei per cognitionem, & amorem. Sed ſi liceat
litterali ſenſu ſacram paginam interpretari, qua dicitur
Homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, hoc

etiam

Digitized by Google

etiam dictum eſſe potuit, quia *y* ſicut in Diuina natura ex ſola prima perſona, quæ Pater eſt, ſine matre genitus eſt Filius, ſecunda perſona; deinde in ſecundo ſigno ex Patre, & Filio productus eſt Spiritus Sanctus, tertia perſona Diuina; ſic in Humana natura ex primo parente Adam, ex eiuſque ſubſtantia, ſine *z* muliere facta eſt Eua ſecunda perſona humani generis; deinde ex Adã, & Eua genitus eſt *a* Abel. Sic igitur Homo eſt imago Dei, vt etiam Mundus. Quod alia ratione nobis explicuit Macrobius, inquiens, *b Anima autem, qui verus eſt homo, ab omni conditione mortalitatis aliena eſt adeo, vt ad imitationem Dei Mundum regentis, regat & ipſa corpus, dum a ſe animatur; ideo c Phyſici Mundum magnum hominem, & hominem breuẽ mundum eſſe dixerunt.* (melius cũ *d* Ariſtotele hominẽ paruũ Mundum appellaſſet) *Per ſimilitudines igitur cæterarum prærogatiuarum, quibus Deum anima videtur imitari, animam Deum, & priſci Philoſophorum, & Tullius dixit.* Quam ſententiam a Marco Tullio Macrobius hauſerat, aſſerente ex *e* Platonicorum doctrina, *f Tu vero enitere & ſic habeto, non eſſe te mortalem, ſed corpus hoc; nec enim tu is es quem forma iſta declarat; ſed mens cuiuſque is eſt quiſque; non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt: Deum te igitur ſcito eſſe; ſiquidem eſt Deus, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit & moderatur & mouet id corpus cui præpoſitus eſt, quam hunc Mundum ille princeps Deus: &, vt ille Mundum quadam parte mortalem ipſe Deus æternus; ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet.* Cæterum & Cicero theoriam hanc deſumpſiſſe videtur ex Ariſtotele, vt Ariſtoteles ex Anaxagora, & Hermotimo Clazomenio; nam ait *g* Magiſter, *Quare qui vt animalibus rationalibus, ita in natura intellectum ineſſe cauſſam mundi totiusque ordinis dixerat, quaſi ſobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes apparuit: iſtas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuiſſe ſcimus: attamen Hermotimus Clazomenius dicitur cauſ-*

y D.Th.1.p.qu.27.& ſeqq.ad 44

z Geneſ.2.

a Geneſ.4.

b 2.in ſom. Scip.c.12.

c Plat. in Tim.

d 8. phyſ. t.17.

e Plat. in Alcib.1.

f 2.de ſom. Scip.

g 1. meta. ſu.2.cap.2.

ſam

Digitized by Google

ſam prius dixiſſe. Sic igitur magna Mundi cum Homine intercedit in eo ſimilitudo, quod vterque Dei quamdam imaginem præſeferre videtur.

Mundi, & Hominis analogia deducitur ex eo, quod Veteres Mundum pingebant ſub effigie ſemicapri Panis. Cap. XV.

ILlud etiam nobis aperit ſummam inter Hominem, & Mundum analogiam, quod Veteres Mundi hieroglyphicum ſtatuebant eſſe figuram Hominis capripedis. Nam etſi Plato in Cratylo Panem eſſe voluit ſermonem, cuius pars ſuperior, ideſt oratio vera, ſit humana & leuis; at inferior, ideſt oratio falſa, ſit brutalis, & hirſuta; nihilominus magis placet eorum opinio, quibus Pan Vniuerſum Mundum deſignat; quod & a nomine, quod Totum ſignificat, & ab alijs partibus apte deſumunt; &

a in Hymn. ſane *a* Orpheus inquiens,

> πάνα καλῶ κρατερόν, γε θέον, κόσμοιο τὸ σύμπαν
> οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν
> καὶ πῦρ ἀθάνατον. τὸ δὲ γὰρ μέλη ἐςὶ τὰ πάνος.

hoc eſt, *Pana voco magnum, qui totum continet orbem,*

> *Qui mare, qui cælum, qui terras frugiferentes.*
> *Aeternumque ignem: hæc Panos ſunt omnia membra.*

b ſyntag. 15. In eamdem ſententiam Probus, relatu *b* Gyraldi, aſſerit, propter duo argumẽta ſub vocabulo Panos Iouem, ideſt Mundum coli; vnum eſt, quod πᾶν Græce ſignificat omne, ideſt vniuerſam naturam: alterum, quod hinnuli pellis, qua tegitur varietas maculis imitatur Stellas.

c lib. 5. c. 6. Mythologi *c* veteres perſuaſerunt, Pana quoque fuiſſe Deorum nuntium, quod ex Mundi contemplatione nos attollamur in cognitionem Intelligentiarum Vniuerſum

uerſum mire gubernantium, ſed ſpeciatim Dei Optimi Maximi. [d] Seruio pariter in Bucolicis Virgilianis, *Pan Deus ruſticus, in naturæ ſimilitudinem formatus; vnde & πᾶν dictus eſt, ideſt omne: habet enim cornua in radiorum Solis, & Lunæ ſimilitudinem: rubet eius facies, ad ætheris imitationem: in pectore vero nebridem habet ſtellatam, vt Stellas imitetur: pars eius inferior hiſpida eſt, propter arbores, & feras: caprinos pedes habet, vt oſtendat terræ ſoliditatem: fiſtulam ſeptem calamorum habet, propter harmoniam cæli, in qua ſeptem ſoni ſunt, & ſeptem diſcrimina vocum: rhabdon habet, ſeu virgam, ideſt pedum recuruum, hoc eſt baculum, propter annum, qui in ſe recurrit, quia hic totius naturæ Deus eſt*: a Poetis fingitur, cum Amore Deo luctatus, & ab eo victus; quia, vt legimus, Omnia vincit Amor: laſciuum etiam & libidinoſum hunc ipſum Deum introduxerunt, propter copiam ſpermaticarum rationum, & quæ commiſtione ipſarum fiunt. Euſebius item in Præparatione ſua [e] Euangelica, Pana Vniuerſi ſymbolum eſſe ſcribit; cornua ei data, propter Solem, & Lunam; variam Pantheræ pellem, propter varietatem cæleſtiū. Non aliter [f] Albricus ait, *Pan ab antiquis [illegible] fuit Deus naturæ, & in ſimilitudinem naturæ vniuerſalis fuit ab eis taliter figuratus*. Phornuto quoque, Talem Pana eſſe perhibent, quia idem eſt omnibus: & inferior eius pars hiſpida eſt & hirta, idque ob terræ aſperitatem: at ſuperior humana eſt figura, eo quod Mundi imperium, quod ratione prorſus conſtat, æther obtineat: porro laſciuum, ac in Venerem prouectum inducunt, quod illi naturalis ſeminis adſit copia. In deſertis, ac ſolitarium eum viuere ponunt, quod vnicus, ac ſoligenitus eſt Mundus: Nymphas ſectatur, quod Mundus gaudeat vaporibus ex humido natis, ſine quibus nil in Mundo gigneretur. Pardali dicitur indutus, quia Mundus rerum varietate coloratus maxime ſpectetur. Saltator, ac tripudiator

[d] in com. Ecl. 2.

[e] lib. 3. cap. 2. & 4.

[f] de Deor. imagin.

M Pan

Pan dicitur, quod omni ventorum genere differatur. His aſſentitur etiam *g* Curio dicens: Pana veteribus fuiſſe ſymbolum Vniuerſi. Cæterum & eodem Pane ſemicapro naturam Humanam facile ſit ita demonſtrare; in primis enim Homo ex anima, & corpore conſtat; quarum illa pars ſuperior eſt, & rationis compos; hoc pars eſt inferior, & bruta: Homo maxime anima eſt, vt non ſolum Stoici cum ſuo *h* Epicteto ſtatuunt, & ex Stoicis *i* Plato definiens hominem eſſe animam corpore vtentem, & ex Platone *k* Cicero, & ex Cicerone *l* Macrobius; verum etiã Ariſtoteles *m* aſſerens, vnumquodque eſſe id quod in eo eſt ſummum, adeoque hominem eſſe ſuum intellectum: & *n* vnumquemque noſtrum eſſe partem animæ intellectiuam; etſi diſſideat in hoc Ariſtoteles a Platone, ac Stoicis; quod illi vniuerſam hominis eſſentiam collocant in anima ſola, corpuſque negant eſſe partem hominis, ſed inſtrumentum tantum atque vehiculum: aſt Ariſtoteles animam vult eſſe partem potiorem Hominis, cuius & corpus ſit pars minus præcipua; quare Plato nuncupat Hominem animã, putans ſe denominationem facere a tota eſſentia Hominis, Ariſtoteles dum ait Hominem eſſe animam, vel intellectum, denominationem facit ab Hominis parte digniori: Adeoque Panos effigies magis Hominem repræſentat Ariſtoteli, quam Platoni. Licet Plato in Timæo dicat Hominis naturam eſſe geminam; rationalem ſcilicet, quam viri nomine cenſet appellandam, & ſenſualem, quæ affectibus agitatur; & correſpondet brutali parti Panos. Deinde Homo dici poteſt Pan, quia in eo ſunt omnia, tum tamquam in fine, vt ait *o* Ariſtoteles: tum velut in Mundi compendio; & in *p* Mundo paruo. Si Pan cum Amore luctatus ab eo victus eſt; & Homo ab Amore facile vincitur, qui melius reſiſtit alijs affe-

g 1. Hieroglyph.
h in Enchirid.
i Alcib. 1.
k in ſomn. S. i?.
l Alcib. 1. & paſſim.
m 10. ethic. c. 7.
n 6. ethic. c. 4.
o 2. phyſ. t. 24.
4. phyſ. t. 23.
p 8. phyſ. t. 17.

affectibus ; nam fortiſſimus Sampſon , & Hercules ; ſapientiſſimus Salomon , & Socrates, ab Amore victi fuerunt. Si Pan eſt libidinoſus , & Homo cunctorum animalium ſalaciſſimus eſt , ac in Venerem pronus , & præfecundus eſt natura ſua;vt ait *q* Ariſtoteles. Si Pan eſt Deorum nuncius , & Homo maxime gaudet hoc attributo , qui ſolus Deos veneratur & colit , vt aſſerit idem *r* Magiſter ; & quia nos ex contemplatione naturæ humanæ non minus in Diuinarum mentium, Deique ſummi cognitionem euehimur,quam ex Mundi magni conſideratione. Hac ratione nos olim ſignificaturi noſtram cupiditatem cognoſcendi cum magnum , tum paruum Mundum,vt & perfecti Philoſophi euaderemus, & noſmetipſos cognoſceremus , finximus velut emblemate frontiſpicio noſtrorum operum apponi ſolito Mercurium ſcientiarum contemplationiſque Deum, qui Pana fugientem inſequeretur , & comprehendere niteretur.Sic ergo magna eſt Hominis cum Mundo Analogia.

q 4. de gen. an. c. 5.

r 30. ſect. probl. 5.

Veteres Mundum pinxiſſe Humana forma ob ſummam Hominis cum Mundo analogiam.

Cap. XVI.

SEd & illud maximam Hominis cum Mundo ſimilitudinem oſtendit,quod Antiqui pingebant Mundum humana ſpecie , tum Atlantis, tum etiam Argi; vt conteſtatur Cœlius Aug.Curio in hæc verba , *a Mundum alio etiam modo Aegyptij Hominis effigie pingebant,complicatis pedibus eum facientes, veſtem variam ad talos vſque indutum, & aureum globum capite ſuſtinentem : Pedibus quidem complicatis, propter terræ firmitatem; varia & oblonga veſte indutum, propter elementorum,ac rerum, quæ ex illis gignuntur,*

a 1. Hierogl.

Digitized by Google

& quibus terra veſtitur, varietatem, & copiam: aureum vero globum capiti eius impoſuerunt, qui cælum ſignificaret ſphæricum & circularem, eius motum. Ego vero potius dixerim per aureum globum ſignificari Mundum intelligibilem ſupra Mundum hunc ſenſibilem collocatum: & Mundum ſenſibilem vnica Hominis effigie repræſentari; cuius pedes cõplicati, & caput veluti ſub pondere incuruatum, nobis quoquopacto referrent Mundi figuram orbicularem. Idem etiam Cœlius paullo poſt, inſit. *Argus, Mundi machina. Argus circa totum caput oculos habens, de quo ſic canit*

b1. met. m. *b Ouidius,*

> *Centum luminibus cinctum caput Argus habebat;*
> *Inque ſuis vicibus capiebant bina quietem:*
> *Cætera ſeruabant, atque in ſtatione manebant.*

Et Statius,

> *Spectat in occiduis ſtellatum viſibus Argum.*

Hic inquam, Vniuerſæ Mundi machinæ typus eſt: cuius caput cæli præſefert imaginem, oculi ſtellarum, quæ inferiora omnia cuſtodiunt, & fouent. Voluerunt etiam Theologi ſymbolici Mundum animal eſſe; idque ſub Argi imagine ſignificarunt. & mox. *Vt igitur Stellæ, ac ſidera huiuſce Mundi oculi ſunt; ſic herbæ arbores & plantæ omnes capillorum locum obtinent; metalla vero, & lapides, oſſium: nil mirum igitur, ſi ſub Argi imagine Mundum vniuerſum comprehendit Aegyptiorum theologia.* Sed nos addimus recte verſus Ouidij citatos Mundi, & Hominis Argi analogiam repræſentare; quoniam Argus non in toto corpore, ſed in ſolo capite geſtabat centum oculos; quia Mundus non in tota mole ſua ſtellatus eſt, ſed in ſuprema ſui parte tantum, quæ cælum dicitur; vnde non bene pictores Argum efformant oculatum toto corpore. Deinde ſtatuens Ouidius Argi duos oculos quieſcere ſomno ſopitos, dum cæteri vigilarent; indicat nobis duo Mundi hemiſphæria; in quorum inferiori dum Sol,

& Luna veluti dormientia nobis veluti ſomno ſopi-ta lumina noctu quieſcunt, in noſtro ſuperiori hoc hemiſphærio cæteræ ſtellæ cæli velut in Mundi capite vigilant, & cuſtodiunt noſtratia: quod & c Mythologus innuit, inquiens, Iuno Argo, cui centum erant oculi, illam ſeruandam conceſſit, quia cælum, cui plurimæ ſunt ſtellæ tamquam oculi, aſſidue terram intuetur, & ob ſuũ curſum tempora aſſidue varians plurimum adiuuat ad fertilitatem: Harum ſtellarum, ſiue horum oculorum, altera pars dormit, altera vigilat, quia ſemper dimidium cæli videtur Sole illuſtrari, quum dimidium ſtellas frequentes oſtentet; atque ſtellæ, quæ Solis lumine obſcurantur, dicuntur dormire. Sed & Antiqui Mundum humana forma pingebant, dum Serapidis ſimulacro vniuerſam Mundi molem ſignificabant; vt adnotat d Valerianus; Aegyptij namque id ſibi numen pro rerum natura confinxere; nam & cælum pro capite dicebatur habere, & oraculum de ſeipſo edidit in gratiam Nicocreontis Cyprij regis in hæc metra, c lib 8.c.18 d hierogl. 32.

Sum Deus, vt diſcas, talis, qualem ipſe docebo,
Cæleſtis Mundus caput eſt, mare venter opacum,
Terra pedes, aures verſantur in æthere ſummo,
Lux, oculi, quam Solis habet ſplendentis imago.

Vbi animaduertendum, ventrem pro mari, & viceuerſa, mare pro ventre etiam apud alios accipi, præſertimque apud coniectores: nam e Hippocrates Cous horum ſententiam ſecutus, eum ægrotum, qui per nocturnam imaginem mare perturbatum viderit, morbo ventris tentari conijcit, idque minime contemptui habendum iudicat, qui adhibitis remedijs, quo nutricatu is curandus ſit, ſtatim docet. Quum itaque veteres per Serapin vniuerſam Mundi molem, & ipſa rerum principia intelligerent, certatim cum templis magnificentiſſimis honeſtarunt: e lib. de inſomnijs, inf.

runt: cuiuſmodi ea fuerunt, quæ in Memphi,& in Alexandria celebrabantur. Pauſanias *f* Athenis etiamnum templum Serapidis fuiſſe narrat Ptolemæi in gratiam ſtructum: inuaſerat autem Ptolemæum Lagi ſuperſtitio ex Dæmonis apparitione, qui iuſſerat, vt apud Euſtathium eſt,mitti nauem,quæ appulit Phocidi, & accepto inde oraculo Sinopen acceſſit, indeque Iouis Serapidis ſimulacrum tranſtulit, quod quidem cuiuſnam eſſet materiæ diſcerni non poterat,nempe vt Chaos ipſum,cuius ſymbolum erat, præſeferret. Et quod illi ſimulacrum in templo Alexandriæ ita vaſtum erectum eſt,vt dextera vnum parietem, alterum læua perſtringeret, ex omnibus metallorum lignorumque generibus compoſitum ferebatur, vt nihil non complecteretur quod terra vel proferat, vel intra viſcera abditum occultarit, Alij Mundi molem indicabant infante ſedente in arbore Loti;quod & ex Iamblico ad Porphirium monet *g* Cœlius,& ex *h* Ouidio, apud quem mater ita loquitur,

f in Atticis.

g hierogl. 52.

h 9.metam.

Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
Et datæ nutrici, noſtraque ſub arbore ſæpe
Lac facitote bibat, noſtraque ſub arbore ludat.

Inſuper Aegyptij mundum Vniuerſum ex mare atque femina conſtare profitebantur, vt idem *i* Valerianus obſeruat. Sic igitur Mundus antiquitus Hominis figura pingebatur, adeoque mira proportio ſpectatur inter Mundum, & Hominem.

i hierogl. 18.

Mundi partes integrales mirifice repræſentari a partibus integrantibus Hominem. Cap. XVII.

NEc reticendum eſt, admirabilem inueniri proportionem inter partes Mundum integrantes, & mem-

membra corpus humanum conſtituentia, quia quum Mundi quinque ſint partes integrantes, cælum, ignis elementum, aer, aqua, & terra: Cælum ſuprema Mundi pars ornata ſideribus, inter quæ maxime præſtant Sol, & Luna; figuram habet ſphæricam, circulari motu mouetur; ac *a* Dei peculiare domicilium celebratur. Tale quid eſt caput in Homine, ſuprema corporis humani pars, ornata ſenſibus omnibus, inter quos maxime præſtant cum extrinſecus viſus, & auditus; quorum ille Soli correſpondet a ſeipſo videnti; hic Lunæ, quæ ab alio lumen mutuatur; vt auditus non niſi ab alio dicta, & præmonſtrata percipit, vel oculus dexter Soli, ſiniſter Lunæ comparatur; quia Sol *b* diei præeſſe dicitur, & Luna noctı, tum intrinſecus ſenſus communis, & phantaſia; quorum ille Solem æmulatur, hæc vero Lunam; quia vt Sol omnibus aſtris lumen impertiri dicitur, ſic ſenſus communis omnium ſenſuum exteriorum operationes complere conſtituitur a *c* Themiſtio: vtque Luna recipit a Sole quicquid in ſe luminis habet, ita phantaſia notiones omnes ſuas a ſenſu communi ſibi mutuatur. Caput figura donatur orbiculari, & motu circulari quoque mouetur in omnem partem: eſtque ſedes animæ rationalis, ac mentis, vt ait *d* Plato ſcribens in hanc ſententiam, *Principio Dij figuram capitis ad rotunditatem Mundi finxere, in eoque duos illos animæ diuinos circuitus ſtatuerunt. Eſt autem caput membrum corporis diuiniſſimum, reliquorumque membrorum princeps; cui totum corpus connexum Dij ſubeſſe & parere iuſſerunt: excogitauerunt enim motuum omnium quotcumque eſſe queant, compos id fore.* per duos animæ circuitus diuinos in capite degentes Plato nobis intellectum, & voluntatem deſignat: ſic cælum corpus *e* diuinius cæteris elementis, & cætera *f* connexa eſſe cælo, illique ſubeſſe, ac parere, monuit etiam Ariſtoteles. Sub cælo in Mundo colloca-

a 2. cæl. t. 2.
b Geneſ. 1.
c 3. de an. c. 8. t. 147.
d in Timeo
e 1. cęl. t. 13
f 1. metcor. cap. 2.

tur

tur elementum ignis caloris fons : ſub capite in humano corpore pectus continetur, in quo cor ſitum eſt viſcus calidiſſimum, ac fons & principium totius caloris naturalis. In Mundo ſub igne reperitur aer velut illum temperans ; & in humano pectore pulmones aere ſemper pleni ſunt ad æſtum cordis, eiuſque calorem igneum refrigerandum a natura inſtituti : ſub aere in Mundo magno reperitur elementum aquæ vni terræ medium vniuerſi occupanti circumfuſum in multa maria diſtributum; & in humani corporis centro ventriculus eſt, veluti terra cunctis partibus alimenta miniſtrans, vndique circumdata ab hepate, veſica fellea, & vrinaria ; quæ repleta humoribus veluti maria ſunt ; nam vrinaria veſica repræſentat Oceanum trans Americam, hepar ſit Oceanus cis Americam, & iecori appenſa cyſtis ſit Mediterraneum ex Oceano veluti pendulum. Quam quidem proportionem terræ cum ventriculo mire detexit poſt *Hippocratem Ariſtoteles ; Hippocrates enim libro de Humoribus ventris officium terræ muneri comparat huius arboribus alendis illud animalibus; vt notauit etiam Scaliger. Ariſtoteles autem ait, g *Sed vt os animalis cibi inconfecti meatus eſt, atque etiam pars ei annexa, quam gulam appellant, cibum quibus data eſt animalibus vſque ad ventriculum deducit : ſic alia quoque adeſſe principia oportet, quorum opera membra omnia corporis ex ventre, naturaque inteſtinorum, quaſi præſepi pabulum capiant: ſtirpes enim ſiue plantæ ſuis radicibus alimentum iam confectum ex terra hauriunt ; quocirca ne excrementum quidem contrahi in ſtirpibus ſolet; terra enim caloreque eius perinde ac ventre vtuntur: at animalium genus omne fere, ſed aperte quæ incedunt, quaſi terram intra ſe continent ſinum ventris, ex quo vt illæ radicibus, ita hæc aliquo intercedente cibum aſſumere debent.* Sed inſuper vt h Ariſtoteles Mundum diſtinxit in tria elementa corporea, & in tria loca illis proportionata ; nimirum in elementum gra-

* lib. de inſomn. apotel. 33.

g 2. de part. an. cap. 3.

h 1. cel. t. 91.

graue, cuius locus eſt circa medium Mundi; quod elementum graue compactum eſt ex terra, & aqua: in elementum grauitatis, & leuitatis expers, quod natura ſua circulariter mouetur, & extremam Mundi ſedem occupat, ac proprio nomine cælum dicitur: tertium elementum leue, quod medium locum ſibi vendicat inter Mundi centrum, & extremum; quod elementum conflatum eſt ex igne, & aere; quorum ille ſimpliciter leuis, hic eſt leuis ſecundum quid: ita plane in homine tres ventres inueniuntur, ceu tria loca viſcerum, ac principalium mẽbrorum; circa medium humani corporis, quod eſt *i* vmbilicus, vt ait Galenus, & innuit *k* Ariſtoteles, diſtinguens in animalibus medium animalis, quod cenſuit eſſe cor, ſiue pectus, a medio corporis, quod putauit eſſe vmbilicum; vt in Mundo poſuit medium magnitudinis terram, quæ centrum eſt; & medium rei, ac naturæ ignẽ, qui leuis exiſtens medius eſt inter grauia, & neutra, quæ cæleſtia ſunt: vt autem ſupremum caput ætheri, medium pectus igni, infimus vmbilicus terræ proportionatur: ita circa medium humani corporis, quod eſt vmbilicus, vt dicebamus: eſt venter imus, abdomen appellatus, in quo eſt, & ventriculus terram referens; & hepar, veſica fellea, & vrinaria, quibus lienem ab Hippocrate metropolim * aquæ dictum, & teſtes, ac renes, aquoſæ humiditatis conceptacula, veluti paludes, & lacus vtrique Oceano, & Mediterraneo adiungi poſſunt in elementum aquæ circa terram conformandum. Sane terræ proportionatus eſt vmbilicus quidem in animali nondum nato, ventriculus autem in animali iam nato; nam animal in vtero ſibi nutrimentum ſumit ex vmbilico; extra vterum ex ventriculo, tamquam ex terra. In extremo corporis humani ſupremus venter caput eſt ſenſibus conſpicuũ; quod nuper vidimus cælo mirifice correſpondere; inter

i 12. de decr. c. 4.
k 2. cæl. t. 74.
* de Genitura.

N caput,

caput, & ventrē imum medius eſt thorax; in quo cor,& pulmo,ignē,& aerem apte repræſentantes collocantur. Quare mira proportio eſt Hominis cum Mundo in partibus integrantibus vtrumque, & in vtriuſque conformatione. Vt optime dixerit *l* Ariſtoteles, Hominem eſſe paruum Mundum;& ſcite conſtituerit viciſſim Cœlius in ſuis Antiquis *m* lectionibus, Mundum eſſe magnum hominem. Quin vt præter Mundi partes præcipuas ita diſpoſitas, venti maxime perflant omnem regionem elementarem;& animantium generationes maxime fiunt in loco grauium; ſic plane in homine flatus rugientes, & inordinate diſcurrentes, ſonitusque tonitrua præſeferentes non in capite, ſed potiſſimum in pectore fiunt,& abdomine;in quo teſtes,& alia viſcera viuentium generationi dicata collocantur. Sic ergo miram habemus analogiam Mundi, & Hominis ex vtriuſque partibus integrantibus. Quam & Ficinus apud *n* Plotinum tetigit inquiens, *Qualis eſt in quolibet animali perfecto textura neruorum, atque venarum; talis in mundano eſt animali naturarum contextus, atque vitarum: ſicut ergo motio paſſioque pedis in nobis pertinet ad ceruicem, & ceruicis ad pedem, ſic & in mundano hoc animali motus inferiorum ad ſuperiora proueniunt; atque viciſſim; & quaſi æqualium ſimiliter ad æqualia.* Omittimus ad hanc rem paſſim propoſitos capillos, & pilos in proportionem arborum, & ſtirpium; oſſa in ſimilitudinem lapidum; qua de re Deucalion apud *o* Ouidium

Magna parens terra eſt; lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici.

præterire libet venas, & arterias in ſimilitudinem fluminum;& ſinus cordis in imaginem fontium;de quibus pulchram habemus Hippocratis ſententiam *p* aſſerentis, Cordis duo ventriculi *fontes ſunt humanæ naturæ, & hi flumina ſunt quibus totum corpus irrigatur; atque hi etiam vitam homini*

l 8. phyſ. t.17.

m lib. 2. cap. 10.

n en.4.l.4. c.41.

o 1.metam.

p lib. de corde.

mini conferunt; & vbi reſiccati fuerint, homo moritur: quia non ita Mũdi, & Hominis analogiã pateſaciunt, vt ſuperiora.

Mundi cum Homine ſimilitudo mira conſpicitur ex partibus vtriuſque eſſentialibus. *Cap. XVII.*

PArtes eſſentiales vbique duæ ſunt, forma, & materia; his enim ſolis vniuſcuiuſque compoſiti eſſentia conſtituitur; hæ in Vniuerſo ſunt Deus, & natura corporea; quas ita ſe habere ad inuicem, vt Deus ſit Imperator, & reliqua entia mundana velut eius imperio ſubditi natura parere debeant, certum eſt ex Ariſtotele; qui primo *a* ſtatuens, Mundum eſſe vnum ſpecie, ac numero, quia primum quod quid eſt vnicum eſt ſpecie, ac numero; quum primũ quod quid eſt ſit prima forma, & prima forma ſit Deus; clare iam Deus Ariſtoteli eſt forma Vniuerſi, adeoque præcipua pars eſſentialis Mundi. Deinde ſcribens, *b* Intellectum ineſſe in natura cauſſam Mundi, & ordinis omnibus; aperte docet Deum eſſe formam Vniuerſi; nam intellectus infra Deum non poteſt eſſe cauſſa omnium; quippe omnium cauſſa ſolus eſt Deus, qui ſolus eſt independens: & cauſſa ordinis non poteſt eſſe pars illa eſſentialis, quam materiã appellamus; quum *c* Auerrois teſtimonio Philoſophus conſtituerit, in fundamento naturæ nihil eſſe diſtinctum & ordinatum, quia materia rebus omnibus imperfectionem, inordinationem, & confuſionem ingerat: Deinde Deum eſſe id in Mundo, quod Imperator eſt in exercitu; Princeps in ciuitate, ac rex in regno, non ſemel nos docuit Ariſtoteles, tum vbi ait, *d* Deum in Vniuerſo eſſe optimum Mundi, ad quod omnia entia

a 12. meta. t. 49.

b 1. meta. ſu 2. c. 2.

c 1. meta. t. c. 17.

d 12. meta. t. 52.

ſunt coordinata, vt in exercitu Phalanges omnes ad vnum ducem coordinantur, qui eſt bonum totius exercitus, ac illius forma, imperans militibus omnibus veluti ſubditæ ſibi materiei; tum vbi ſtatuit, *e* Vnum eſſe principem Vniuerſi, qui omnia entia bene gubernat; nam a multis principibus non ita bene gubernarentur, vt decet: tum vbi decernit, *f cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cùm ſeruatorem eſſe Deum, tum verò quæcumque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium genitorem eſſe;* perinde atque cunctorum, quæ humana natura complectitur cum ſeruatricem eſſe rationalem animam, tum vero quæcumque in humano corpore quouis modo perficiuntur, eorum omnium eſſe genitricem: tum vbi paullo poſt addit, *Atqui ſtatuere nos oportet magni ipſius regis faſtigium, prout quidem eſt Dei eminentia, qui pro poteſtate Mundum tamquam prouinciam obtinet;* & mox, *Quare auguſtius id, decentiusque exiſtimandum eſt, Deum ſummo in loco eſſe collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuerſum mundum pertinens, tum Solem, Lunamque moueat, tum cælum omne circumagat; ſimulque cauſſam præbeat eorum quæ in terra ſunt, ſalutis atque incolumitatis.* Itaque Mundus ex Deo, & vniuerſa natura corporea velut ex imperante ac ſubdito, ceu ex duabus partibus eſſentialibus conſtituitur, vt Homo ex anima & corpore; quod & Ariſtoteles aſſeruit, tum vbi ait, *g Quare qui vt animalibus, ita in natura Intellectum ineſſe cauſſam Mundi, totiusque ordinis dixerat, quaſi ſobrius comparatus ad Antiquiores vana dicentes, apparuit:* tum vbi ſcribit, *h Homo ex imperante ſubditoque conſtituitur;* nimirum ex *i* animo, & *k* corpore, vt alibi docet Ariſtoteles. Sed gubernationem corporis ab anima perſimilem eſſe gubernationi Mundi a ſummo Deo, præclare demonſtrat Cœlius inquiens, *l Deprehenſum porro eſt, in natura rerum duplex eſſe regimen; vniuerſum, & particulare: Vniuerſum quidem, quoniam præpotentis Dei moderatione omnia* con-

e 12. meta. t. 56.
f de mund. c. 7.
g 1. meta. ſu. 2. cap. 2.
h 7. eadem c. 19.
i 1. de an. t. 82.
k 1. polit. cap. 1.
l lib. 24. cap. 30.

continerì, nemo non, qui modo conſtet mente, dabit facile: particularis autem principatus præcipue diſpenſationi Diuinæ perſimilis in homine reperitur: Quem ea ex cauſſa etiam minorem mundum dictitari, perſæpe videmur legiſſe, quod Vniuerſi moderaminis in ea comperiatur forma: nam quemadmodum vniuerſa corporea creatura, & virtutes ſpirituales omnes Diuino ſubijciuntur gubernaculo; compari modo & membra corporea, & animales virtutes magiſtra ratione reguntur: atque eodem fere pacto ſe in homine ratio habet, vt Deus in mundo. Verum ſimilitudo moderamenti huius ratione quoque alia librari perpendique poteſt: Hæc ſiquidem in nobis eſt, non ſolum quia ratione regatur homo quilibet, ſed etiam quoniam hominis vnius præſide ratione multitudo gubernatur: quod regij muneris maxime videtur; quando & in animantibus quibuſdam quæ ſocialiter viuunt, quædam regiminis huius conſpicitur proportio, veluti in apibus: nec id tamen rationi imputandum; ſed naturæ inſtinctui a ſummo regente inducto, qui & eſt & dicitur autor naturæ. Quamobrem id regi principique viro diſpiciendum in primis, vt regno ita demum ſibi præſidendum opinetur, ſicuti corpori præſidet anima, & amplius veluti Mundo Deus. Itaque mira proportio reperitur in partibus eſſentiam Mundi, & Hominis conſtituentibus; quarum vna in vtroque forma eſt imperans in Mundo Deus, in Homine Animus; altera in vtroque materies eſt corporea ſubdita formæ, ab eaque gubernata. Sed in eo forma hominis intellectus etiam imitatur formam Mundi Deum; quod vt Deus eſt forma formarum, ita intellectus *m* Ariſtoteli dicitur eſſe forma formarum: ſane Deus eſt forma formarum ſimpliciter omnium conditrix & gubernatrix: intellectus in homine eſt forma formarum omnium intelligibilium *n* effectrix, & motrix, ac moderatrix: vtque Deus in Mundo eſt forma formarum omnium præſtantiſſima, ſic intellectus in homine eſt forma formarum omnium humanam naturam actuantium *o* perfectiſſima.

m 3. de an. t. 38.

n 3. de an. t. 17. 18.

o 2. de an. t. 82.

Mun-

Mundo, & Homini pariter ineſſe charagma Mundi intelligibilis. Cap. XIX.

ARiſtoteles præter Mundum paruum, quem *a* Hominem eſſe dixit; & Mundum magnũ, quem conſtare ſtatuit ex vniuerſa materia *b* corporea; tertium quoque poſuit Mundum intellectualem, quem extra Mundum ſenſibilem *c* ordinauit; quam theoriam *d* alibi tactam præſtat hic etiam referre; nam ad Ariſtotelis aures, præter Mundum paruum, dicimus inueniri duplicem Mundum, quia datur geminus rerum ordo; quoniam Mundi forma, ſi non eſſentiam conſtituens, vt placuit *e* Alexandro, ſaltem eſſentiam neceſſario conſequens ordo eſt; eſt autem Mundus vnus corporeus, atque ſenſibilis; in quo ponitur eſſe Deus Optimus, veluti forma *f* omnibus aſſiſtens, omnia recte *g* gubernans, omnibusque rebus *h* tribuens eſſe, ac viuere: alter vero Mundus, ſeu rerum ordo eſt intelligibilis, & incorporeus, de quo ſic infit *i* Ariſtoteles, *Intelligibile vero alter ordo eſt, qui per ſeipſum eſt, & huius ſubſtantia prima; atque huiuſce quæ ſimplex, & ſecundum actum eſt:* Quem rerum ordinem, ſeu Mundum intelligibilem ponit *k* Ariſtoteles extra ſupraque omnem naturam corpoream, vbi neque locus eſt, neque motus, neque tempus, neque vacuum, neque corpus: Ac ſane vti Mundus corporeus, & ſenſibilis *l* Ariſtoteli eſt coordinata congeries omnium rerum corporearum, & ſenſibilium a ſummo Deo, ſeu a Mundo intelligibili in *m* eſſe pendentium, & optime *n* gubernatarum: Ita Mundus intelligibilis, & incorporeus eſt pariter coordinata congeries omnium ſubſtantiarum *o* intellectualium, & incorporearum adinuicem, a ſummo Deo in eſ-

ſe

a 8. phyſ. t. 17.
b 1. cęl. t. 98.
c 1. cæl. t. 100.
d 1. de im. an. c. 3.
e 1. nat. qu. cap. 19.
f 1. de part. cap. 5. 7. eudem. cap. 18.
g 12. meta. t. 37. 49. 52. 56.
h 1. cæl. t. 100.
i 12. meta. t. 37.
k 1. cæl. t. 100.
l 12. meta. t. 52. 56.
m 1. cæl. t. 100.
n 12. meta. t. 53. 56.
o 12. meta. t. 37.

ſe pendentium, & gubernatarum eminenter. Quos duos Mundos in Peripato tam clare poſitos ab Ariſtotele, cognouit etiam Commentator Auerroes, qui ſcribit ad Algazelem, *p Attamen non eſt ſic in materialibus, ſicut eſt in intellectualibus; qui autem aſſimilat hunc mundum materialem intellectuali, eſt ex eis, qui ſequuntur cortices rerum:* (p 1. diſp. deſtruct.) non negat tamen hic Auerroes analogiam, & ſimilitudinem Mundi ſenſibilis, ac intelligibilis niſi in emanatione vtriuſque a cauſa prima; quod nobis in præſentia non repugnat: Cæterum res intellectuales, nomine Mundi intelligibilis indicatas, Ariſtoteles vere dicit eſſe *q* ſupra extimam ſenſibilis Mundi lationem, vbi non eſt locus, nec motus, nec tempus, nec vacuum, nec etiam corpus; (q 1. cęl. t. 100.) non quidem materialiter nobis deſignans localis diſtantiæ corporalem intercapedinem, ſed formaliter aperiens nobis diuerſitatem naturæ; vt latius *r* alibi confirmauimus. (r 1. de im. an. cap 3.) Verum enimvero poſſumus etiam Mundum intelligibilem ponere ſupra, & extra ſenſibilem in Empyreo: Quorum Mundorum ad ſeinuicem, & cum Homine proportionem belle tetigit *ſ* Cœlius, qui diſtinguens Mundum ſenſibilem in cæleſtem, & elementarem, his & ſupra mundano Mundo ſpirituali quartum Mundum adiecit Hominem; (ſ lib. 2. cap. 18.) & ſane vt ſupra, & extra Hominem in centro huius vniuerſitatis degentem eſt Mundus elementarius; extra elementarium cæleſtis vndique ipſum ambiens, & ſupra cæleſtem Mundus intelligibilis; ita inquit, *quæ in Mundo viſuntur infimo, in ſuperioribus item pernoſcuntur, ſed ampliora auguſtioraque; ſiquidem noſtra hæc ab ſublimium excellentia abire longius & degnerare: Eſt apud nos elementaris ignis vrens; eſt in cælo igneus ſol fouens viuificanſque: poſtremo ſeraphicus intellectus vltramundanus ignis amore ardens:* addi poteſt, in homine Cor igneum eſt principium caloris natiui. *Elementaris aqua calorem perimit adobruitque vitalem, alit cæle-*

ſtis:

ſtis : ſupercæleſtis mens cherubica intelligentia ſupereminet : dici
t Geneſ.1. poterat, cælum Hebræis dici hoc nomine *t ibi aqua* ; &
u pſal.148. ſuper cælos aquas poni in ſacra *u* pagina : ſed & in humano corpore aquam referunt pituita, & ſerum : ſupe-
x cap.17. rius in homine terram *x* vidimus, aerem, & alia corpora
Mundum ſenſibilem integrantia: & ſane, quæ terræ ſub-
y lib. de cæleſti correſpondeat in Cælo Lunam ab *y* Ariſtotele,
animal. & ab *z* Auerroe, quin & ab Ægyptijs diſcere poterat
1.cel.com. Cœlius; qui notatum alterius † Cœlij duplicem tellu-
16. z 2. cæl. rem ſtatuunt, ſuperiorem vnam, quam Lunam in cælo
com. 32. vocant; inferiorem alteram, quam terram in centro
42.49. & de ſub. nuncupant, quod & Pierius collaudat aſſerens Pytha-
orb.c.2. goræ Lunam modo terram cæleſtem modo terreſtre cœ-
† 59. hierogl. lum appellari; Ariſtotelique dici terræ ſimilem. Sed non-
*lib.1.cap. ne hoc ipſe * notauit? *Sunt vero qui quartum aſtruant Mun-*
25. *dum, in quo item recognoſcamus quæ in reliquis : hic non eſt alius quam homo; de quo id extritum paſſiuumque circumfertur, eſſe vtique hominem Mundum, ſed minorem ; cuius commeminit etiam*
a 8. phyſ. *a Ariſtoteles; cuius ſit corpus elementare, ſpiritus b cæleſtis, ve-*
t.17. *getalis potentia, cuiuſmodi in plantis ; ſenſus, perinde ac in brutis ;*
b 2. de gen. an. cap.3. *adſit demum ratio, & mens angelica, & Dei charagma inſignitius. Sed & Mundus ipſe, magnus dicitur homo. Verum audi præſignem rerum excellentiam, audi quod admirari non deſinas ; Tres eſſe Mundos, liquet : ſed eſſe in homine ſimulacra omnium, nec dum forte liquet; atqui ſunt quidem argumento, quod nequaquam refelli, aut dilui poſſit : ſic autem manifeſto deprehendas, ſi hominem trifariam diſtribuas ; vt ſit caput portio prima, quæ & ſumma : mox ſecunda, quæ media, ab collo ad vmbilicum ſpatietur ; reliquam habeant ima corporis : hæc ex amuſſim ratione exactiſſima tribus mundis analogice reſponſant : Caput rationis mentiſque ſedes eſt : in pectore Cor, motus, caloris, vitæ continet principia : genitalis portio, ſeminarium productionis eſt. Mundus itidem Angelicus, ſiue intellectualem mauis nuncupare, intelligentiam habet, vt ſcopum : in mundo mediano*

vita,

vita, calor, motus fontem habent; vbi cordis vice fungitur Sol, immoque cæli cor ſæpe appellatur: noſter vero Mundus (vt palam eſt) tum generationis, tum etiam corruptionis conceptaculum. Sed nos hæc aliter c ſuperius, ac diligentius ex Ariſtotele, reique natura diſcuſſimus. c cap.

Mundi, & Hominis analogia deducitur ex eo quod vterque veteribus pingebatur ſub anguis imagine. Cap. XX.

PIerij a teſtimonio, *Mundum vniuerſum Aegyptij ſacerdotes ſcribere volentes, anguem, qui caudam propriam depaſceretur, eumque varijs inſignem maculis pingebant: de quo* Claudianus, a hierogl. 14.

Perpetuumque virens ſquamis, caudamq; reducto
Ore vorans tacito relegens exordia lapſu.

Quod dubio procul ſignificat omnia, quæ diuina prouidentia in mundo generantur, ab eodem quum ſolui cœperint, ſiue paullatim imminui atque deficere, in ſeſe recipi, fierique illud propemodum, quod apud quoſdam Aethiopiæ populos aſſiduo eſt in vſu; qui quum nullo alio nutriantur cibo quam piſcium, humana deinceps cadauera piſcibus obiectant, victum quem ab eis acceperant ex ſeipſis rependentes: Hac vero cauda ab ſuo animali corroſa, receptæ autoritatis aſſumptum illud ſignificat, quod vno omnium conſenſu fertur, decrementum vniuſcuiuſque rei alterius incrementum eſſe. Aiunt vero Phœnicum hoc fuiſſe hieroglyphicum, per draconem in orbem redactum, caudamque ſuam deuorantem, id exprimere, vt appareat Mundum ex ſeipſo ali, & in ſe reſolui: nam quum æterna ſint elementa, neque corruptione, neque variatione per ſe vlla immutentur, corruptioni tamen ac variationi ſubiecta eſſe videntur, ea parte qua ſpecierum informationi admiſcentur, vi tamen ipſa incolumi permanente. Quod Pacuuius innuit ita

Quicquid eſt hoc, omnia animat, format, alit.

Auget, creat, ſepelit, recipitque in ſeſe omnia,
Omniumque idem eſt pater, indidemque eadem
Quæ erunt de integro, atque eodem occidunt.

Serpens igitur caudam depaſcitur ſuam, vt generum immortalitatem, qua rerum naturam Deus inſigniuit, oſtentet; vt principium ad finem directum eſſe, finemque ad principium reflecti doceat: nam vt hoc apertius explicetur, ex plantis fructus, velut ex principio finis; ex fructibus vero ſemen, in quo planta ipſa deliteſcit, atque ita principium ex fine. Nec omittenda vero ſunt, quæ de figura anguis, Mundum ipſum mira ſimilitudine referentis, veteres Philoſophi quaſi ludentes conſcripſere, ipſam rerum ſpeciem vniuerſam non temere oculis omnium ſubijcientes; ſiquidem pro corpore quod habet, grauiſſimum eſt animal, perinde ac terra, quæ ponderibus librata ſuis ob grauitatem inſitam in centrum vndecumque eccidit: Præterea vero toto diſtentus humi corpore, per terram repit, vnde etiam genus id nomen accipit, modo ſerpens, modo reptile nuncupatum. Eſt præterea lubriciſſimum, quemadmodum aqua, atque inter ſerpendum pandos ac repandos vndarum flexus imitatur; & apud fabularum ſcriptores draco Euripus erat, qui Heſperidum hortis in inſula poſitis tutelaris effingebatur; & amnes quoſdam ſpiras circum terrarum orbem replicare inſtar anguium Socrates ait in Phædone. Quin & Heſiodus Echidnam ait dimidia ſui parte nympham, dimidio altero immanem anguem; pro qua interpretes accipiunt vapores exhalantes a mari, neque non omnem humoris vim; nympha vero eſt ob id quod ſubminiſtrat nutrimentum; Serpens propterea, quod flumina tortuoſis ambagibus feruntur, perinde ac ſerpentium corpora ſinuoſis plurimum flexibus obrepunt. Sed quod facit ad nympham, quæ loci omnino Genius eſt, occulta quippe vis illa quæ graminibus & plantis vitam fouet, auctumque ſubminiſtrat. Ignarus non ſum, quoſdam alios draconem hortorum cuſtodem pro radicibus arborum accepiſſe, quod tortuoſæ ſint vti ſerpentes, & in terram adactæ, perinde ac anguium genus in terræ viſceribus plurimum deliteſcit: ita vero draconis ſpeciem hanc pomis operam præſtare vt aſſeruentur; radicibus enim aut cæſis,

aut

ant exſiccatis, poma etiam auferri neceſſe eſt. Aerium vero ſpiritum per ſibila, quæ vel ad audientium horrorem nonnulli eorum excitare ſolent, intelligimus. Squamæ vero, ſtellarum Mundum ambientium varietatem, quique ignes in ſupremo micant orbe hieroglyphice ſignificant: nam & hinnuleæ pellis varietatem, quam Pan geſtare fertur, ſtellas ex maculis imitari ait Probus: eamdem Libero patri attributam, idem ſignificare tradit b. Euſebius. Eſt & alia ſuper hoc conſideratio, quod anguis hyberno ſitu membrana corpori, præcipue autem oculis, obducta obcæcatur; verno vero tempore fœniculum paſtus, id Græce μάραθρόν *eſt, eiusque ſucco oculos inungens, impedimentum illud exuit, & acutiſſimo quo pollet, viſui reſtituitur, ſenectutemque ita ſingulis deponit annis, nudusque propemodum vernat, & glabro corpore iuuenis, vt c. Maro ait,* b 3. de præpar. Euangel. c. 3. c 2. Æneid.

Lubrica ſublato conuoluit pectore terga.

Leberida vero, membranam ſcilicet, quam deponit, ita exuit, vt a capite orſus ad caudam replicet, interiore parte in exteriorem, exteriorem in interiorem verſa, cute intus altera ſubnaſcente. At Mundus quoque (de inferiori hoc Mundo loquimur) hyemali tempore pruinoſo, quodam non modo obcæcatus, ſed vndecumque obductus ſitu, annuo peracto ſpatio, Zephyris flare incipientibus, ſqualorem abijcit, quæque rerum ſemina intus fuerant ſuperioris defectu caloris obſtruſa occultataque, extra aperiuntur occluduntur que, ac ſenectute depoſita per vices iterum iuueneſcunt. Quin etiam quæcumque de anguis renouatione traduntur, cum hac ipſa Mundi noſtri renouatione conſenſum habent; ferunt enim colubrum, quum exuere incipit, ab oculis primum detrahi, ita vt obcæcari videatur, tum caput exuitur, glabrumque hoc omnino antequam reliquum corpus, apparet. Arbores quoque oculos primum exerunt, gemmas alij vocant, germen alij; ſed inoculatio inde, inſitionis genus; mox exſinuant flores, paullatimque fructuum fœtus aperiunt. Neque vere tantum exuit anguis, verum etiam autumno, & pro locorum temporumque conditione: æſtate etiam, d. Ariſtotele hoc aſſerente, licet id abneget e Plinius: Atqui Mundum etiam non vere tantum hæc facere, ſed æſtate autumnoque om- d 5. hiſt. cap. 17. 8. hiſt. c. 17. e lib. 8. cap. 27.

ni, tot ſpecies, tantosque ortus, variosque nouatus aperire, pro regionum ſitu ac rerum natura conſpicimus. Sunt qui aliam etiam picturam ſimulacrumve Mundi fuiſſe dicant, vt ſcilicet intra circulum æreum ſerpentis effigiem accipitrino capite inſignem circumducerent ad θ propemodum litteræ ſimilitudinem; ære quippe ignem referente, circulo magnitudinem & formam orbis indicante, ſerpente bonum Dæmonem, cuius merito ac beneficio omnia alantur, vigeant, ac perennent. Sed non elementalem hunc orbem tantum ex hieroglyphico huiuſmodi colligimus, verum etiam & cælum ipſum, quod ſub Iani figmento fabularum inuolucris occultatur; Ianum enim ab eundo dictum, peritiores aſſerunt. Mundus itaque initium ex ſe faciens, quum in ſe reuertatur, figura ipſius, quæ poſita eſt, rationem oſtendere videtur. Sic ergo Mundus ab Antiquis pingebatur figura ſerpentis obſeruatu Pierij; cui non ita libere concedimus Ariſtotelem aſſerere ſerpentes æſtate ſenectã deponere, idque illi Plinium negare; quum adhuc apud eos talem contradictionem non legerimus. Cæterum & Hominem eadem figura ſerpentis indicari, non vnum

f 14. hierog. eſt quod aperiat, In primis quod ipſe Pierius f inſit, *Serpens caudam ſibi deuorans Mundi ſymbolum eſt, quod naſcuntur e terra rerum ſpecies, & in terram mox recidunt; nam Rhea defluxus eſt & corruptio Mundi: quæcumque igitur tempus protulit, eadem tempus abſumit. Vnde ſacris quibuſdam apud nos dicitur, puluerem eſſe hominem, & mox in puluerem reuerſurum.* Dein apertius infra ſubdit, *Sunt vero qui per anguem & leberida hieroglyphice hominem oſtendant iuuentuti redditum, ſi vel de morbo, aut alia aliqua lue, aut calamitate, ſqualorem atque maciem depoſuerit, ſitque demum habitior, atque validior factus.* Cæterum & ſacra pagina ſerpentem accipit ſymbolum humanæ naturæ; nam & Redemptor Dominus præcepit Apoſtolis ſuis vt eſſent prudentes ſicut g ſerpentes. Quin & de ſe alibi dicit, h Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Non parua igitur in-

g Matth. c. 10.
h Ioan. c. 3.

ter

ter Hominem, & Mundum intercedit analogia; quum vterque Veteribus eadem figura ſerpentis denotari conſueuerit.

Summa Mundi, & Hominis analogia depromitur ex eo, quod vterque ſit ludus Dei. Cap. XXI.

HOminem Dei ludo fictum eſſe, adeoque Dei ludum quemdam eſſe profeſſus eſt non vno in loco Plato *a* Academicorum philoſophorũ coryphæus: in primis enim ait, *Sic autem de his cogitemus, vt miraculum quoddam diuinum in animantium genere vnumquemque noſtrum exiſtimemus, ſiue ioco, ſiue ſerio (non enim id nouimus) a ſuperis conſtitutum.* Deinde vero *b* poſterius inſit, *Hominem vero, ſicut etiam ſupra diximus, Dei ludo eſſe fictum; atque id vere ipſius optimum eſſe. Ita igitur affectos homines conſequenter & mares & feminas verſari in ludis quampulcherrimis oportere.* Quam ſententiam collaudat Ficinus aſſerens, *c Mitto in præſentia Platonicum illud, Homo iocus eſt ludusque Deorum; id enim vbi res exiget, exponemus.* Exponit autem alibi *d* dicens, *Quod autem addit, hominem a Dijs fuiſſe vel ludo, vel ſtudio quodam effectum, ſic intellige; ludo quidem factum eſſe, ſi anima ſemper a cæleſtibus ad terrena, atque viciſſim quaſi ludendo tranſmigrans, nunquam immutabili apud Deum ſede quieſcat: factum vero ſtudio, ſi modo penes effectores Deos, effectorem Deum animus quandoque ſit immutabiliter permanſurus. Vtram vero diſiunctionis huius partem eligere debeamus, affirmare hic Plato non audet.* & adhuc infra *e* ſubdit, *At cur non dicit cætera quoque animalia ludos eſſe Deorum? quoniam nec adeo Dijs familiaria ſunt, vt cum his illi ludant; nec comparantur ad Deos, vtpote quæ ſeipſa Deo non comparant, neque diuina aliquando metiuntur, vnde cogantur de illis ſicuti nos metiri; Et profecto ſi Dei ridere ſit, humanum rideat*

a 1. de legib.
b 7. de legib.
c in arg. in Cratyl.
d in arg. ad 1. de legib.
e in arg. 7. de legib.

ludum conantem immenſa metiri. Ac certe Deus hominem talia conantem, ac multo maiora, nempe ſe immenſo æqualem facere, videtur olim riſiſſe; dum ait, *f, Ecce, Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum:* ironice ſiquidem his Deus Hominem alloquitur, vt ait Lyranus, velut eum deridens; Hoc enim fere interpretes cenſent dictum eſſe a Deo per ironiam, vt intelligeretur quanta irriſione & ludibrio dignus ſit homo peccator: vnde g alibi dicit Deus peccatoribus; Ego autem in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos. Rupertus Abbas hanc eamdem ſententiam habet, *h* aſſerens, *Ergo non vere, ſed ironice dictum, aut dicendum eſt, quia hic talis, quaſi vnus ex nobis factus eſt, & cum tali ironia irridendus eſt; videlicet quia ſtulte & ſuperbe fallaciſſimo diabolo credit dicenti, & eritis ſicut Dij: ecce quomodo ſicut Deus, vel quaſi vnus ex nobis factus eſt; quomodo ſciens bonum & malum factus eſt.* At eruditus doctusque *i* Caimus opinatur ideo Platoni dictum eſſe hominem eſſe ludum ludicrumque Dei, quia quum ludus imperfecta quædam imitatio ſit, ac veluti ſimulacrũ alterius rei feriæ; ſic intellectus humanus, adeoque homo ipſe quædam eſt imago, & vtcumque Dei ſimulacrum. Phauorinus *k* exiſtimat ex *l* Eugubino Steucho Platonis dictum hunc habere ſenſum, quod in Deũ & res diuinas omne ſtudium conferendum ſit; dignum enim eum eſſe, in quo colendo omnibus conatibus & ſtudijs vtamur; hominem autem eſſe Deo longe inferiorem, vt qui ſit ab eo veluti res iocularis effecta, vt quaſi luderet quum machinatus eſt eum; veluti ſi pictor, aut ſtatuarius aliquod opus effingeret: Græce enim παίζειν, ludere, videtur eſſe etiam creare, gignere; vnde παῖδες, filij, proles, dicti pignora Latinis: ſic fuit homo quaſi filius, & proles Dei; ſed μεμαχανημένος; machinatus, fabricatus, factus: idque ait Plato fuiſſe omnium, quæ Deus

f Geneſ. 3.

g Prou. c. 1.

h lib. 3. com. in Gen. c. 28.

i 1. de hum. ingen. c. 20

k de hom. exc. par. 16 c. 15.

l 9. de peren. phil. cap. 6.

Deus facere poſſet, optimum, ac præcipuum. Sic igitur homo tot nominibus dicitur eſſe Dei ludus. Cæterum iiſdem & Mundum dici Dei ludum, non difficile probatu fuerit; in primis enim Mundum eſſe Dei ludum aperte conteſtari videtur ſacra pagina, in qua *m* legimus apud Salomonem Diuinam ſapientiam, adeoque Deum Mundi conditorem ita loquentem; *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum; antequam quicquam faceret a principio; ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant; nec dum montes graui mole conſliterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam; quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens:* ecce perſpicuis verbis agitur hic de Deo in actu creationis Mundi; & introducitur Filius ſub perſona Diuinæ ſapientiæ, qui cum Patre creatore dicitur cooperari; nam operationes ad extra ſunt communes omnibus perſonis Diuinis; ſed in tali creatione Deum luſiſſe, quia ſcilicet vniuerſam ſui omnipotetiam non exhauſerit, nam & maiorem, & plures mundos, & fortaſſe perfectiores Deus condere potuit; ſtatim admonet Salomon ſub perſona Diuinæ ſapientiæ ſubdens immediate, *Et delectabar per ſingulos dies ludens coram eo in orbe terrarum* nempè per ſingulos ſex dies creationis Mundi, delectabar communicans meam bonitatem rebus creatis, ludens coram Patre creatore in orbe terrarum condendo; cuius creatio fuit noſtræ infinitæ potentiæ veluti luſus ac iocus quidam: quam delectationem, ac luſum habuiſſe pariter innuit dum tribuit eſse homini, hominemque creauit, ſtatim

m Prou. c. 8.

ſub-

ſubiungens, *Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum*: dum enim creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, delectatus eſt Deus ſuum & hoc feciſſe ſimulacrum. Si homo dicitur luſus, ac iocus Dei, quia ſit quædam Diuinæ naturæ ſimilitudo; pariter & Mundus, quem *n* ſupra nouimus eſſe Dei quoddam ſimulacrum, dicendus erit ludus & iocus Dei. Conſimiliter ſi homo Dei ludus eſt, quia vt ait Ficinus, anima noſtra ſemper a cæleſtibus in ortu noſtro ad terrena, & in obitu a terrenis ad cæleſtia tranſmigrat; ſique humanus animus a Deo in corpora demittitur deſcendens, vt aiunt Platonici, & a corpore ad Deum regreditur aſcendens, veluti pila quædam luſoria ab vno proiecta, & ab aduerſario colludente in primum proiectorem reiecta, circulari quadam ludi reflexione; ſic & Mundus vniuerſus a Deo motore continenter mouetur ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum, perpetuis fere vicibus: & mundus terrenus tale quid ſuſtinet *o* Gloſſographi monitu; qui hæc verba, *ludens in orbe terrarum*, ita gloſſat, *id eſt, ludum faciens de orbe terrarum; qui ſimilis eſt ludo pilæ, quæ de vno transfertur in alium ſecundum quamdam reuolutionem; quia regna terræ transfert, atque conſtituit de gente in gentem*. Sic ergo mira conſpicitur inter Mundum, & Hominem analogia, quod vterque dicitur eadem ratione Dei ludus.

n cap. 14.

o poſtil. in Prou. c. 8.

Mundus, & Homo ſimiliter dicitur Dei templum. Cap. XXII.

VNiuerſum hoc ſenſibile, quod Mundum appellamus, eſſe magnum quoddam ſummi Dei templum, in quo ſemper ab omnibus creaturis Deus colitur, & ineffabili quodam modo perenni laudibus celebratur, præclariſſima leguntur

tur apud celebres autores teſtimonia; Pierij *a* namque *a lib. 49.*
relatu, Mundo veteres ædem poſuerunt rotundam; *hierog.*
Mundumque eam appellauere, ab eo Mundo (inquit
Cato in commentarijs Iuris ciuilis, quæ Feſtus citat) qui
ſupra, & infra nos eſt: eius inferiorem partem veluti
Dis manibus conſecratam, clauſam omni tempore cu-
ſtodiebant. Apud *b* Macrobium, & *c* Ciceronem, *b lib. in*
Deus eſt, cuius hoc templum eſt omne quod conſpici- *ſomn. Scip.*
tur oculis, adeoque Mundus hic ſenſibilis vniuerſus: & *c. p. 13.* *c de ſomn.*
paullo poſt *d* Macrobius repetit, Terram eſſe globum *Scip.*
medium in hoc Dei templo, quod Vniuerſum appella- *d cap. 14.*
mus. Eugubinus ille Steuchus, qui perennem Philoſo-
phiam coluit, *e* & ante illum *f* Plutarchus inſit, *Eſt* *e lib. 6. c. 6.*
enim ſanctiſſimum templum ac diuiniſſimum hic Mundus; in hunc in- *f de an. tran-*
ducitur homo quum naſcitur, non manufactorum & immobilium ſpe- *quil. inſ.*
ctator futurus ſimulacrorum, ſed earum, quas mens Diuina ſenſiles
mente ſola cernendorum effigies, in ſe inſitam vitæ motusque haben-
tes facultatem fabricata eſt. & cętera, quæ Steuchus ita de-
clarat, *Ecce igitur Deus, Solis, Lunæ, totius cæleſtis ordinis autor:*
& quoniam a ſanctiſſimo repertus & compoſitus opifice Mundus eſt,
& plenus diuinæ pulchritudinis, ſupremæque venuſtatis, nihil ine-
ptum, incompoſite vagans, nihil exorbitans, & errans continet: ecce
Mundus templum ſanctiſſimum, ſacerrimum, alma lux, lux ſacra
diei: ecce quoque rerum tantarum inductus homo contemplator, vt
cælum ſuſpiceret, opera magni Dei diligenter attenderet, inde coleret,
ſuſpiceret, manibus ad cælum tenſis exclamaret, O rerum creator
optime, dignus quem ob infinitam ſapientiam, benignitatemque im-
menſam veneremur. Seneca pariter g in hanc ſententiam *g 7. de be-*
ſcribit, *Sed & totum Mundum Deorum eſſe immortalium templum,* *nef. cap. 7.*
ſolum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum. Huic
adſtipulatur Cœlius, qui ex ipſo dicit, *h Ingens Dei tem-* *h 2. lect.*
plum Mundum vocari. Ficinus item apud *i* Plotinum agit *ant. cap. 1.*
ex Platonicorum ſententia de mundano templo, cuius *i en. 2. lib.* *9. cap. 8.*

P entia

entia præſtantiam venerentur ceu viuæ Dei ſtatuę. Marcus *k* Varro, Rhodigini *l* obſeruatu, *Quocirca*, inquit, *Cælum qua tuimur, dictum templum: ſic, Contremuit templum magnum Iouis altitonantis, id eſt, vt ait Næuius in hemiſphærio, vbi terra cærulo ſeptum ſtat: eius templi partes quattuor dicuntur; ſiniſtra ab Oriente, dextra ab Occidente, antica ad Meridiem, poſtica ad Septentrionem. In terra dictum templum locus augurij.* Vere igitur Mundus eſt Dei templum: ac ſane videtur maximam habere ſimilitudinem cum antiquiſſimo illo templo Salomonis: nam vt illud templum Hebræorum *m* vnicum fuit; & Mundus vnicus eſt *n* Ariſtoteli: Templum Salomonis ædificatum eſt ſine *o* ſtrepitu mallei, aut ſecuris; & Mundus ſolo verbo Dei *p* conditus eſt. Templum Salomonis anno *q* ſeptimo completum eſt; & Mundi conſtructio completa fuit a Deo die *r* ſeptima, in qua quieuiſse dicitur ab omni opere quod patrarat. Oraculum & Altare Salomon poſuit in *ſ* medio templi interioris: modo in medio Mundi intimum eſt elementum terræ, in quo ſunt homines Deum orantes: Altare vero in templo Salomonis erat de terra, lapidibus non ſectis, & lignis: terra, quam terimus in Mundo lapidibus non ſectis vbique ſcatet, ac lignis. In medio templi pariter circa Altare poſuit duo Cherubin habentes alas, quæ *t* tangebant parietem templi, & ala vnius altera tangebat alam alterius: ita in Mundo circa terram ſunt duo elementa leuia ignis & aer; quium que ignis calore tangat aerem itidem calidum, vterque *u* perſpicuitate tangit cæleſtia corpora, quæ ſunt veluti parietes templi mundani: & ſicut in templo Salomonis nihil erat quod non *y* auro tegeretur: ſic in Mundo ſenſibili nullum corpus eſt quod a *z* lumine Solis non deauretur. Sique Salomon omnes parietes templi per circuitum ſculpſit varijs *a* cælaturis, & torno: cæleſtia corpora veluti

ſcul-

Marginal notes:
- *k* 6. de ling. lat. fragm.
- *l* lib. 1. c. 10
- *m* Lyran. in Matth. c. 9.
- *n* 1. cæl. t. 76. & ſeqq.
- *o* 3. Reg. c. 6
- *p* Gen. 1.
- *q* 3. Reg. c. 6
- *r* Gen. c. 2.
- *ſ* 3. Reg. 6.
- *t* 3. Reg. c. 6
- *u* 2. de gen. t. 16. & ſequentibus
- *x* 2. de an. t. 68.
- *y* 3. Reg. c. 6
- *z* Ficin. lib. de lumin. cap. 9.
- *a* 3. Reg. 6.

ſculpta viſuntur varijs *b* imaginibus aſteriſmorum Arietis, Tauri, Leonis, Virginis, & alijs, quæ torno veluti facta ſuſpiciuntur. Sique templum Salomonis habebat circa ſe *c* tria atria tribus ordinibus lapidum politorum; & extra Mundum in empyreo tres ordines ponuntur, Diuinarum perſonarum, Angelorum, & Sanctorum hominum. Sique in templo Salomonis prope Altare fecit Salomon mare fuſile rotundum per circuitum; & in Mundo circa terram poſitum eſt in circuitu mare fluitans. Sique in *d* medio templi prope Altare poſitum eſt candelabrum aureum a Moyſe confectum iuſſu Domini *e* ſeptem lucernarum: & in Mundo pariter accendit Deus conditum a ſe candelabrum aureum ſeptem planetarum fulgentium *f* prope terram; ob id enim Planetæ non ſcintillant Ariſtoteli; quia prope terram ſunt inter alia ſidera. Sic igitur Mundus myſticum eſt Dei templum: ſed & hoc attributum iiſdem ferè nominibus homini congruit; & quidem Hominem eſſe Dei templum, late patet e ſacra pagina; quoniam Apoſtolus ad *g* Corinthios ait, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Origenes etiam *h* infit: *Omnis homo, qui ſuſcipiens eſt Verbum Dei, templum eſt.* Et Gloſſographus *i* Machabæorum ait, *Templum Domini eſt quilibet fidelis; & hoc templum debet dedicari ad ſimilitudinem templi materialis, &c.* Nec ſolum homo ratione animæ dicitur Dei templum, ſed etiam ratione corporis; quo nomine Chriſtus Dominus apud D. Ioannem *k* dicebat Iudæis, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Homo vnicus eſt ſpecie, vt Mundus *l* vnicus & ſpecie, & numero, & * vnicum fuit templum Salomonis ſpecie, ſed numero multiplex; nam deſtructum a Nabuchodo-

b Ptolem. Procl. & Aſtron.
c 3. Reg. c. 6
d Lyran. 2. Paralip. c. 4
e Num. c. 8.
f 1. poſt. t. 96. 97. & 2. cæl. t. 48.
g 1. ep. c. 3.
h in Matth. 24. gloſſ.
i lib. 2. c. 1.
k cap. 2.
l 12 meta. t. 49.
* Lyr. Luc. cap. 6. 7.

noſor Rege Babylonis, reædificatum fuit a Zorobabel. Templum Salomonis ædificatum eſt abſque ſtrepitu malleorum; & Homo tum in ſupernaturali ſui creatione a Deo, tum in naturali ſui generatione in vtero matris producitur ſine ſonitu, in alto cauſſarum agentium ſilentio: ſi templum Salomonis in ſecunda ædificatione *m* quadraginta ſex annos habuit ędificij; humanum corpus in ſui naturali generatione quadraginta ſex dies habet organizationis abſolutæ, nimirum in ſeptimo ſeptenario dierum; vt innuit *n* Hippocrates: cui ſi primo ſeptenario dierum *o* conceptus abſoluitur, vt & *p* Ariſtoteli; Moyſi *q* homo creatus eſt a Deo primo dierum ſeptenario, & templum a Salomone anno ſeptimo completum eſſe dicitur. Si oraculum, & Altare fuit in medio templi, & in homine venter medius eſt pectus, in quo cor eſt *r* Altare, vbi perennis ignis caloris naturalis ardet. Si iuxta Altare Salomonis in medio templi ſunt duo Cherubin alati; & iuxta cor in medio pectore duo pulmones aſſidue cor ventilantes, & alas habentes, quibus tangunt parietes pectoris, & alas adinuicem. Niſi dicamus hos duos Cherubin eſſe duas facultates animæ rationalis, intellectum agentem, & poſſibilem, Cherubin enim ſunt mentes proprietate intellectrices. Si templi Salomonis omnia coruſcabant auro, & omnes corporis particulæ ſpiritibus *ſ* irradiantur. Si templi Altare iuxta ſe in circuitu vas aquæ habebat, quod mare fuſile ab Hebræis dicebatur: & Altare cordis incluſum eſt in pericardio, quod vas *t* aquam continet naturaliter; vt omnes norunt Anatomiſtæ. Sique in templo candelabrum eſt ſeptem lucernas in ſe continens; & in homine ſenſitiuum principium cōtinetur, quod quinque ſenſus exteriores obtinet, & duos interiores, phantaſiam nimirum, & ſenſum communem; qui veluti lucer-

næ

m Gloſſ. in 2. Machab. c. 4. Gloſſ. 1. Eſdr. cap. 6
n de princip.
o ibid.
p 7. hiſt. c. 3. 2. de gen. an. c. 3.
q Gen. c. 2.
r Gloſſ. Matth. c. 5.
ſ Galen. in tr. c. 13. Ariſt. 2. de gen. an. c. 5.
t Laur. Anat. hiſt. l. 3 c. 9.

næ quædam homini res cunctas ſenſibiles manifeſtas faciunt. Sique templum extra ſe circum habebat atria tria; & homo circa ſe habet immediate tria elementa, terram, aquam, & aerem; nam ignis procul abeſt ab homine ſurſum prope cælum. Si denique templi parietes erant varijs cælaturis exornati; & in humani corporis ſuperficie contuentur *a* Phyſiognomi variorum animalium, quin & aſteriſmorum figuras, atque plãtarum imagines. Ita ergo maxima eſt hominis cum Mundo proportio, quod vterque quodammodo, immo vero prorſus eodem modo eſt Dei templum. *a* Port. Phyſiogn.

In Mundo, & Homine ſpectatur myſtica Domus. *Cap. XXIII.*

QVum templum ſit Domus Dei, vt conſtat e *a* ſacra pagina; Mundus, & Homo, quibus conſimiliter competit ratio templi, ac domus Dei, pari ratione ſimilitudinem habent cum humana domo. Profecto Mundus ab Ariſtotele domui comparatur his notis, *b Cuncta autem coordinata quodammodo ſunt, verum non ſimiliter & natantia, & volatilia, & plantæ; nec ita ſe habent, vt ſit vllum alteri ad alterum; ſed ſunt ad quippiam: ad vnum namque coordinata ſunt omnia: Verum quemadmodum in domo liberis quidem minime libet quodcumque facere; ſed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata ſunt: mancipijs vero, & beſtijs parum, quod ad commune conferat; ſed vt plurimum quodcumque contingit (tale namque principium cuiusque eorum natura eſt) c Dico autem pariformiter, quod neceſſe eſt omnia in diſcrimen venire; & alia ita ſunt, quibus omnia communicant ad Vniuerſum.* Scilicet vt domus tota in duobus conſtituta eſt, quæ dicuntur *d* Ariſtoteli Homo, & poſſeſſio; ita ſi Hominis nomine tria in-

a 3. Reg. c. 6. Marc. c. 11. Matt. c. 21. Luc. c. 19.

b 12. metaſ. t. 52.

c t. 53.

d 1. œcon. cap. 1.

intelliguntur, Pater, & Materfamilias, & Liberi; nomine poſſeſſionis totidem ſignificantur, ſerui, bruta, & agri: Porro in Mundo Paterfamilias eſt Deus, Materfamilias Natura cæleſtis; liberi ſunt homines: ſeruos æmulantur animantes irrationales domeſticæ, brutorum nomine feras intelligimus; ager ſit ſubcæleſtis regio tota: & ſane locum hunc Ariſtotelis apte Commentator, & ex eo

M.A.Flã. 12. meta. Flamminius explicat, inquiens; *Quanquam nullum eſt genus rerum, quod ad ordinem & aptam Vniuerſi cõgmentationem non conferat aliquid, hauquaquam tamen ob eam cauſſam exiſtimandum eſt, vnam eſſe cunctorum rationem, eamdemque fortunam: Vt enim in domo recte conſtituta homines liberi educantur ad laudem & virtutem, docenturque iudicio & ratione cuncta adminiſtrare, & omnes in primis actiones ad decus, atque emolumentum ſocietatis domeſticæ dirigere: ſerui autem neque litteris vllis imbuti, neque moribus ingenuis expoliti, maximamque vitæ partem in operibus ſordidis occupati non ita multum vtilitatis in medium conferre valent; multaque potius per ignorantiam, & libidinem animi temere committunt, quæ rectam adminiſtrandæ domus rationem perturbare videantur: Haud aliter profecto fit in hac ampliſſima familia Naturæ, quæ domicilio Mundi magnificentiſſimo continetur: quæ enim ſupra quartam regionem habitant, nihil non recte, non ordine, non ſapienter gerunt; nihil denique quod ad ſalutem & pulchritudinem Vniuerſi non mirabiliter conducat: aſt infra Lunam fortuna & caſus magnum imperium habet; & natura materiæ mutabilis non morborum tantum, & mortalitatis eſt effectrix; ſed etiam perturbationem ordinis, atque inconſtantiam rebus natiuis importat, vt multa fortuito & temere, nullaque ratione adminiſtrari neceſſitas cogat: Illud itaque in ſum ma dicendum videtur, naturas rerum eſſe illas quidem diſſimiles, varieque diſtinctas; habere tamen quamdam inter ſe conuenientiam, nonnullaque eum omnibus eſſe communia; quippe quum omnia conſpirare cernantur ad ſtructuram, & elegantem compoſitionem Vniuerſi.*

Sic igitur Mundus cum domo præclaram habet analogiam,

giam, in quo Deus eſt Paterfamilias, herus, ac vnus Dominus; cæleſtia corpora ſunt Materfamilias, quæ ſobolem procreat, & cuſtodit atque conſeruat omnia domeſtica: proles ſunt Homines; qui ſunt a *f* cælo vtcumque *f* 2. phyſ. & a *g* Deo producti; atque quodammodo *h* finis om- t.26. nium rerum: ſerui, bruta, & ager ſunt omnia in ſubcæle- *g* 2. de gen. an. cap. 3. ſti regione contenta. Cæterum & Homo cum domo *h* 2. phyſ. miſtam habet analogiam; ſi enim domus ex Homine, & t. 24. poſſeſſione conſtituitur; Homo ex anima, & corpore coagmentatur: ſique homo in domo triplex eſt, Pater, Mater, & proles; ita in homine anima triplicem habet partem, Platoni quidem intellectricem, iraſcibilem, concupiſcibilem; nam Pater in domo debet omnia præuidere, omnibusque prouidere; adeoque mirifica vi intelligendi pollere: Mater, vt femina, iracundiæ ſatis obnoxia eſt; pueri viuunt cupiditatibus acti: Ariſtoteli vero tum rationalis, ſenſualis, & vegetalis; inter quas rationalis Patrem familias virum prudentem denotat; ſenſualis mulierem deſignat; vegetalis, cuius eſt generare, prolem ſignificat: tum intellectus, voluntas, & operationes; actiones enim veluti filij gignuntur a voluntate illuſtrata ab intellectu: Pariter in humano corpore poſſeſſio triplex eſt, membra præcipua nuncupata, quæ deſeruiunt animę velut organa, cerebrum, cor, hepar, & *i* te- *i* Gal. art. ſtes: membra, quæ a principalibus gubernantur, & agun- med. c.9. tur, vt a mancipijs boues, canes, & alia bruta domeſtica; Auic. l. 3. f. 20. tr. 2. qualia ſunt manus, pedes, & reliqua ſenſoria: ac demum cap. 1. membra agro proportionata, vt ventriculus alimentum præbens vniuerſæ familiæ membrorum; quæ omnia mirifice *i* conſpirant in conſtitutionem, ac integritatem totius Hominis, vt innuit *k* Hippocrates effato nobili, *k* de alim. *Confluxus vnus, conſpiratio vna, & conſentientia omnia.* Sic igitur Homini cum Mundo ea intercedit analogia

quod

quod vterque domus eſt apta ſibi proportione reſpondens.

Mundo ſimiliter, & Homini competit Ciuitatis, ac Reipublicæ myſticum ſimulacrum. *Cap. XXIV.*

TEmplum, & domus eſt pars neceſſaria Ciuitatis, ac Reipublicæ; quare qui Mundum, & Hominem in eo conuenire nouimus, quod vterque templum eſt, & domus; profecto vtriuſque proportionem adhuc maiorem probabimus, vbi demonſtrauerimus vtrumque habere rationem Ciuitatis, & Reipublicæ. Porro M. illi Tullio Romanæ eloquentiæ parenti, *a Vniuerſus hic Mundus vna ciuitas communis Deorum atque hominum exiſtimanda eſt*. Ariſtoteles ante Ciceronem idem placitum confirmauit inquiens, *b Tametſi extiterunt, qui ſe ſe admirari addubitabundi dicerent, quî fieri tandem poſſet, ſi e contrarijs principijs Mundus conſtitit (ſiccis dico, humidis, frigidis, & calidis) vt iamdiu non diſſolutus fuerit, atque interierit: Perinde quaſi mirari quiſquam debeat, quonam pacto Ciuitas incolumis perduret, quæ e gentibus contrarijs compoſita ſit, egenis inquam & diuitibus, iuuenibus & ſenio confectis, infirmis & valentibus, prauis atque innocentibus: Ignorantia eſt iſta, vtique hominum, hoc eſt concordia ciuili non videntium longe admirabiliſſimum, quod ex multis ipſa vnum efficit affectum, & e diſſimilibus ſimilem; omnis enim illa quidem naturæ ſuſceptrix & fortunæ.* Ac non multo poſt in eamdem ſententiam repetit Ariſtoteles, *c Vt vero ſummatim iam loquamur, quod in naui gubernator eſt, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & Dux in exercitu, hoc Deus eſt in mundo: Niſi ſi hactenus intereſt, quod labor & motus multiplex illos exercet, & curæ angunt variæ; quum huic*

a lib. de legib.

b lib. de mund. c. 6.

c cap. 7.

huic elaborata ſuccedant omnia, omnis moleſtiæ expertia, citraque corporis infirmitatem; quippe cui in loco ſtabili immotoque collocato omnia mouere, & circum agere pro arbitratu liceat, quo libitum eſt, quumque & quomodo libitum eſt: idque diuerſis in formis ſimul atque naturis. Id autem ratione ſimili facit ille atque lex ciuilis; quæ immobilis ipſa exiſtens in vtentium animis, regit omnia ad Rempublicam pertinentia; & ciues quidem quaſi eius aſſeclæ in medium prodeunt; qui autem Principes vocantur, ad Prætorium ſe conferunt; legiſlatores ad propria tribunalia, Senatores denique & qui concionatores dicuntur, ad conſeſſus ſibi contributos conueniunt: Rurſus is in Prytaneum it, cui ſcilicet id datum eſt, in eo vt publico victu epuletur; alter rapitur ad iudicium, cauſſam vt ibi dicat: in carcerem alius compingitur, vt ſupplicio afficiatur illic: Tum vero epulones in ciuitate celebres ad epulas legitimasque conueniunt: Iam vero aguntur dies feſti, iam ludicra ſolemnia; iam anniuerſaria ſacrificia fiunt Diuis, Heroesque ritu ſuo coluntur; poſtremo inferiæ mortuis inferuntur: ſic alia ab alijs facta vno vel imperio, vel legis vna autoritate, aſſeruant eum, qui obtemperat,

Sic vrbs ſimul plena eſt vaporibus ſacris,
Reſonatque cantibus pijs, ac luctibus.

Hoc idem de Vrbe quoque maiore, & de hoc inquam Mundo exiſtimare debemus: Deus enim nobis lex eſt, in omnem illa quidem partem ad æquilibrium vergens, nullam correctionem admittens, nullam varietatem; quippe quæ potior ſit illis legibus, & ſtabilior, quæ in tabulis præſcriptæ ſunt: eius enim auſpicijs perenniter, & compoſite præeuntis, Vniuerſus hic cæli ordo regitur atque adminiſtratur, numeros omnes concinnitatis habens; in omnes ipſe naturas partitus pro vniuerſitate ſeminum, in ea quæ hærent ſolo, atque in animantia, quæ etiam ſuis ipſa generibus formisque diſtincta ſunt: nam & vites fiunt, & palmæ, & perſeæ, ficique dulces, & oliuæ (vt inquit Poeta:) Tum quæ fructus expertes, alios vſus præſtant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiam nigra, & cupreſſus odorata: tum quæ autumni tempore fructum ſuauem fundunt, ſed conditu difficilem, pyri, punicæ

mali; at vero animantium aliæ feræ sunt, aliæ cicures: tum in aere, tum humi, tum in aqua victitantes; oriunturque, & inualeſcunt, & deinde intereunt, legibus obtemperantes Diuinis, atque cedentes: omne enim reptile (vt inquit Heraclitus) terram depaſcitur, atque poſſidet. Vnus porro Deus quum ſit, pluribus nominibus appellatus eſt; ab ijs vtique ſuis omnibus effectibus denominatus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Sed & alio in loco clare Philoſophus

d 12 meta. t.5C. Vniuerſum ciuitati comparat, dum ait, d *Qui vero dicunt Mathematicum numerum primum, & ita ſemper aliam attiguam ſubſtantiam, ac alia cuiusque principia, inconſpirantem Vniuerſi ſubſtantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, ſiue ſit, ſiue non ſit) & principia multa: at entia nolunt male gubernari: non eſt bonum pluralitas principatuum; vnus ergo princeps;* vnus enim princeps bene gubernat non niſi ciuitatem: ſic ergo Mundus ab Ariſtotele ciuitati cuidam ſimilis eſſe dicitur.

* 2. lect. ant. cap. 1. Cœlius * etiam ex Seneca ſcribit, Mundum eſſe Rempublicam ſapientis. Cæterum & ſacra pagina Mundum ciuitatis nomine donauit, & Vrbi conſimilem eſſe con-

e Num. c. 24. ſtituit, dum ait, e *De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.* & in noua lege, dum inſit, f *& adhæſit vni ciuium*

f Lu. c. 15. *regionis illius.* Quæ loca Gloſſographus in Biblijs inter-

g Num. 24. pretatus g ait, *Ciuitatem hunc Mundum intelligamus, ſicut in Euangelio de luxurioſo filio dicitur, qui diſſipauit ſubſtantiam patris: Acceſſit, inquit, ad quemdam primarium ciuitatis in regione illa, à quo receptus in agrum mittitur porcos paſcere: Hæc ergo ciuitas, cuius ille primarius erat, mundus eſt: igitur de hac ciuitate liberatum, ideſt, quem de hoc Mundo Chriſtus liberat, perdit eum dicens,*

h Matth. c. 10. h *Qui perdit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam: ſalubriter ergo Ieſus perdit, quem de hoc Mundo eruit: ſi volumus ergo ad ſalutem venire, & de Mundo liberari, perdamus animas noſtras perditione neceſſaria, & vtili. Quin & ad illum Pſalmi verſiculum,*

i Pſal. 30. i *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita;* Glosſa interlinearis pro ciuitate

inu-

Digitized by Google

munita totum orbem terrarum interpretatur. Præterea Salomon in Prouerbijs aſſerens; *k Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, deſtruxitque robur fiduciæ eius.* Gloſſographus ciuitatis nomine intelligit Mundum, qui quondam malignorum ſpirituum tyrannidi ſeruiebat, habens fiduciam vitæ in cultu eorum, qui non ſunt Dij, ſed opera manuum hominum: hanc ciuitatem Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus in carne intrauit, deſtruxitque per ſuos prædicatores. Et Naum *l* Propheta nomine Niniue, quæ eſt ciuitas magna, eidem Gloſſographo Mundum intellexit. Socrates etiam interrogatus cuias eſſet, dum ſe ciuem mundanum eſſe reſpondit, vt ait *m* Ficinus, aptiſſime Mundum eſſe quamdam ciuitatem affirmauit. Qua quidem in re ſummam cum Mundo cognationem Homini intercedere priſcus ille nouit Menenius Agrippa, qui primus inſtituto de partium humani corporis contentione Dialogo, ſeu potius Apologo, Ioſephum Licetum Patrem meum habuit imitatorem in opuſculo De nobilitate membrorum principalium Hominis; qui ſane Menenius inter Patres, & Plebem publicæ gratiæ ſequeſter fuit, vt ait Seneca in Conſolatione ad Heluiam; nempe quod explicat *n* Quintilianus in exemplis, Menenius Agrippa Plebem cum Patribus in gratiam traditur traduxiſſe, nota illa de membris humanis aduerſus ventrem diſcordantibus fabula, quam latius in ſua *o* Geographia Volaterranus exarauit inquiens; *Agrippa plures. Primum legimus Menenium Agrippam cognomine Lanatum; qui dux electus aduerſus Sabinos, de eis triumphauit; & quum Plebs a Patribus ſeceſſiſſet in Auentinum, quod tributum & militiam toleraret, nec reuocari poſſet, Agrippa apud eam orans, inquit, Humani artus quum ventrem otioſum viderent, ab eo diſcordarunt, & ſuum illi miniſterium negauerunt: quum eo pacto & ipſi quoque deficerent; intellexerunt ventrem cibos acceptos per om-*

k cap. 21.

l cap. 1. & 3.

m com. in conu. 7. cap. 2.

n lib. 5. cap. 11.

o lib. 13.

nia membra diuidere: & cum eo in gratiam redierunt: Sic Senatus, & Populus, quaſi vnum corpus diſcordia pereunt, concordia valent. Hac fabula conciliatus Populus: creauit tamen Tribunos plebis, vt libertatem ſuam aduerſus nobilitatem defenderent. Menenius autem in tanta paupertate deceſſit, vt eum Populus collatis quadrantibus ſepeliret, locum ſepulturæ vt Senatus publice daret. Hanc hiſtoriam Epiſcopus Vulturarienſis fuſius explicuit, & ante vtrumque Plutarchus, Maiolus quidem inquiens, in Colloquio de origine ſocietatis humanæ, p. *Vix iam eluctata fuerat Romana Reſpublica ex periculo Regiæ tyrannidis, quum eam bellis adhuc vicinis implicatam in diſcrimen duxit domi ſubito exardeſcens inteſtina plebis & patrum diſcordia; cuius cauſſa præcipuæ extiterunt immodicæ vſuræ, quibus demerſa magna pars multitudinis ad ſeruitutem rapiebatur: Mota igitur eſt anno 259. quo mortuus erat Tarquinius, triſtis ſeditio; quæ quidem iſto momento popularibus remedijs fuit ſanata: ſed ſemina tamen reliquit; ex quibus ſequente anno tantum exarſit incendium, vt plebs armata in ſacrum Montem ſecederet, & oppreſſionem Patrum moliretur: Repreſſit autem illum tumultum ſeceſſionis Menenius Agrippa vir facundus; qui, quum a Patribus ad ſeditioſam multitudinem eſſet legatus, priſco dicendi modo nihil aliud dixiſſe fertur, quam illud, Tempore, quo in homine, non vt nunc, omnia in vnum conſentiebant, ſingulis membris ſuum cuique conſilium & ſuus ſermo fuit: reliquas partes ſua cura, labore & miniſterio omnia quidem ventri quærere: ſed ventrem in medio quietis nihil aliud facere, quam datis voluptatibus frui. Conſpirarunt inde ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, & ne dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent; ipſa etiam membra, & totum corpus vna in extremam tabem venit: vt inde apparuerit, ventris quoque non ſegne miniſterium eſſe; nec magis aliquam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, diuiſum pariter in venas confecto cibo ſanguinem. Comparando deinde quam inteſtina corporis ſeditio eſſet ſimilis iræ plebis in Patres; ita demulſit plebis animos, vt pacis conditiones admitteret.*

p pag. 113. col. 1.

Creati

Creati tunc primum fuerunt Tribuni plebis; & decretum eſt vt is Magiſtratus eſſet ſacroſanctus; cuius auxilium, ſicubi res poſceret, Plebs aduerſus Conſules implorare poſſet; ne cui Patrum eam dignitatem capere liceret. Plutarchus autem in Coriolano ſcribens paullo aliter, & explicatius in hanc ſententiam, *Quum iam nomen Marcij Coriolani eſſet in Vrbe, & opes ob virtutem ingentes, ſeditio inter Senatum, qui tuebatur opulentos exorta eſt, & populum, qui per quam ſe grauiter putabat opprimi a fœneratoribus; ſiquidem mediocriter locupletes pignorationibus & auctionibus omnibus exuebant fortunis: Qui prorſus erant inopes, eos ipſos ducebant, & corpora tenebant nexa vulnerum cicatricibus oppleta & confecta, obitis pro patria expeditionibus, quarum ſubierant nouiſſimam contra Sabinos: quum ditiſſimi quique oſtendiſſent ſe lenius cum ipſis acturos, & ex Senatus decreto ſponſor Conſul M. Valerius interceſſiſſet; Cæterum quum in eo quoque prælio egregia opera militum enituiſſet, hoſteſque cæſi eſſent, neque quicquam remitterent tamen fœneratores, curia autem diſſimularet promiſſorum meminiſſe, ducique denuo ciues & pignora capi permitteret, tumultus vero inde ſeditioque occuparet fœda ciuitatem, neque motus populi hoſtes fefelliſſet, ſed inducto exercitu fines Romanos vaſtarent, habentibuſque delectum iuuentutis Conſulibus nemo reſponderet ad nomen: tunc iterum diſſonæ ſententiæ fuerunt Magiſtratuum: Pars ſubueniendum cenſebant pauperibus, nimiumque rigorem laxandum iuris: Alij contra ſenſerunt, inter quos erat Marcius; non pecuniæ iacturæ tantam rationem ducens, ſed initium hoc eſſe procacitatis & contumaciæ inſurgentis aduerſus leges plebis: Id, ſi ſaperent, vt opprimerent & extinguerent, hortatus eſt. Senatu his de rebus crebro paucis diebus habito, nec quicquam expediente, plebs repente conſpirans, ac ſeſe mutuo cohortata, exceſſit Vrbe, & in Montem, qui nunc Sacer appellatur, trans Anienem amnem ſeceſſit: Quieti ſine vlla violentia, tantum Vrbe ſe iam dudum fremebant pulſos: aera, aquam, locum ſuppeditaturā vbique ad ſepulturam Italiam, quibus nihilo amplius ſint colentes Romam habituri, quam vt pro diuitibus militantes vulneribus concidantur*

dantur

dantur & vitam profundant: Id timentes Patres, ex maioribus natu moderatiſſimum quemque & maxime popularem miſerunt ad plebem: Princeps legationis fuit Menenius Agrippa: hic partim obſecrans, partim Senatum defendens, in extrema oratione ad figuram peruulgatam fabulæ delapſus eſt: nam omnes hominis partes coniuraſſe ait contra ventrem; queſtas ſolum ignauum in homine & immunem quieſcere; omniaq; illius quæri auiditati ingenti ſuo labore & miniſterio: ventrem vero ſtultitiam earum deriſiſſe ignorantium recipere quidem alimentum intra ſe omne, ſed reddere id ex ſe & diſtribuere in alias. Eadem, inquit, ratio, Quirites, Patrum eſt vobiſcum; nam recte atque ordine deliberata apud eos conſilia cœptaque omnibus vobis adferunt & diſpertiunt vtilitatem atque fructum. In concordiam deinde conceſſum eſt; poſtulaueruntque a Senatu & obtinuerunt, vt quinque viri crearentur, quibus auxilij latio eſſet; qui nunc Tribuni plebis vocantur. Primos creauerunt, quos ſeditionis autores habuerant. Sic igitur Agrippa poſuit in humano corpore Reipublicæ Romanæ, ac ciuitatis imaginem. Sed & Ioſephus Licetus Pater meus in ſuo dialogo, cui titulum fecit, de Nobilitate membrorum principalium hominis, demonſtrat Hominem eſſe veluti ciuitatem quamdam atque Rempublicam, ab Anima, ceu à Principe gubernatam, cuius regia ſedes ſit cerebrum; quum cor ſit ſedes facultatis iraſcibilis, adeoque ciuitatis Arx, in qua militaris ordo reſidet: Hepar ſit ſedes facultatis concupiſcibilis, quæ curatori victus proportione reſpondet, Magiſtratuique annonæ; ac teſtes denique ſint ſedes facultatis generatricis; quæ coniugatorum ordinem in ciuitate, ac Republica præſefert; cuium eſt iugi procreatione ſobolis multitudini ciuium, ac perpetuitati ciuitatis, ſeu Reipublicæ conſulere. Plato quinetiam in Homine Reipublicæ, ac ciuitatis imaginem animaduertit,

q dial.4. de Republ.

inquiens, *q In hominis animo duo quædam ſunt; vnum quidem melius, alterum vero deterius: & quando quod natura melius deteriori* do-

dominatur, tunc aliquis ſeipſo potentior dicitur, atque hoc ſermone laudatur: quoties autem propter improbam nutritionem, vel conſuetudinem aliquam, quod eſt melius, quum minus ipſum ſit, deterioris multitudine ſuperatur, hoc ex opprobrio quodam ſeipſo imbecillius dicitur, & qui ita affectus eſt intemperans appellatur. Sic apparet. Contemplare hanc nuper a nobis conditam ciuitatem, inuenieſque ipſi alterum horum ineſſe: Potentiorem quippe ipſam ſeipſa iure vocandam fateberis: nam ſi melius in ea peiori imperat, temperata dicenda eſt, & ſeipſa melior. & mox addit, *Nunc autem diſceptationi huic finem iam imponamus; ſecundum quam exiſtimauimus, ſi plurium habentium iuſtitiam in maiori prius eam contemplaremur, facile deinde in homine uno nos quale hoc ſit inſpecturos; viſumque nobis eſt maius ipſum ciuitatem exiſtere, atque ita quam optimam potuimus eam condidimus, ſcientes in bona Republica ineſſe iuſtitiam. Quare quod in illa nobis apparuit, referamus ad vnum; & ſi idem illic conſtet, ſatis nobis erit factum: ſi quid autem aliud in uno appareat, rurſus ad ciuitatem conuerſi, hæc examinabimus; ac forte alterna comparatione diſceptantes, velut ſcintillas ex his iuſtitiam excitiemus, eamque iam quum clare micuerit apud nos ipſos ſtabiliemus, &c.*

ex quibus aperte conſtat Platonem ponere ſummam analogiam inter hominem, & ciuitatem, ſiue Rempublicam. Sed ad normam Ariſtotelis dicemus, Vt in ciuitate lex immobilis exiſtens regit, ac mouet omnia ad Rempublicam pertinentia; ſic & in Vniuerſo Deus immobilis regit, ac mouet omnia Mundi corpora; & in Homine anima per ſe immobilis regit, ac mouet omnia membra. Vt in ciuitate ciues ſunt alij Principes, qui ſe conferunt ad Prætorium; alij Legiſlatores ad propria tribunalia; & alij Senatores, alij Oratores, qui conueniunt ad ſuos conſeſſus: ita & in Vniuerſo cæleſtes orbes conſiſtunt in Ætheris Prætorio; Sol, & Luna Legiſlatores indicunt omnibus ſubcæleſtibus terminos originis, vitæ, ac interitus; ſidera fixa veluti Senatores,

de mund. c. 7. — 1. meta. tx. 2. cap. 2. — 12. meta. t. 38. — 12. meta. t. 56. — 1. de an. t. 61. & 4. phyſ. t. 45. — 2. de an. t. 24. — 2. de gen. t. 57. — 4. de gen. an. cap. 2. & 10.

tores, & errantia cætera veluti concionatores conueniunt ad proprios conſeſſus, in quibus agitur de ſubcæleſtium fortunis: & in humano corpore conſiſtunt in capitis Prætorio Platoni, ac Medicis Principes facultates animæ cognitrices; in corde vero veluti legiſlatores facultates animæ appetitrices, imperantes membris omnibus vt vel moueantur, vel quieſcant, vel proſequantur, vel fugiant; & in toto corpore membra præcipua cor & cerebrum Senatores; iecur, ac teſtes velut Oratores conueniunt ad ſuos conſeſſus de bona gubernatione totius humanæ ciuitatis veluti deliberantes. Sed Ariſtoteli cor eſt veluti Prætorium, in quo reſident Principes facultates animæ. Rurſus vt in Ciuitate Prytanæum eſt locus, vbi publica ſeruantur alimenta; ſic & in Vniuerſo globus ex terra, & aqua eſt; vnde omnia viuentia publicam ſibi deſumunt alimoniam: & in humano corpore ventriculus, ac venoſum genus cunctis partibus alimenta ſuggerens Prytanęo comparatur aptiſſime. Denique ſicut in ciuitate reorum alter rapitur ad iudicium, cauſſam vt ibi dicat; in carcerem alius compingitur, vt ſupplicio afficiatur illic: ita & in Vniuerſo * vapor in altum rapitur ab exhalatione fumida ſibi circumplexa, vt in aere ſublimi examinetur; & ignea portio intra terræ viſcera compingitur, & aer, vt ibi corruptione affecti priſtinam exuant naturam: & in humano corpore ſanguis in hepate genitus rapitur in cordis ſinus, vt ibi probetur; & multi ſucci non boni compinguntur in carceres veſicæ felleæ, lienis, inteſtinorum, vt ibi vltimo ſupplicio affecti, vita nempe boni humoris exuti, ceu vita indigni pellantur extra corpus.

* 1. meteor. ſu. 2. cap. 1. ſu. 3. cap. 1.

Mun-

Mundus, & Homo ſimiliter apte nuncupatur Carcer, & Spelunca. Cap. XXV.

SEd in Ciuitate, atque Republica quum Carcer ſit, & Spelunca; iam ex eo etiam Vniuerſi cũ Homine cognoſcemus analogiam, quod vterque Carcer eſt, & Spelunca: Porro Mundum eſſe Carcerem, atque Speluncam aſſeuerauit Plato in hanc ſententiam, *a Poſt hæc Naturam, inquam, noſtram, quod ad eruditionem & ruditatem attinet, tali quadam imagine contemplare. Finge animo ſubterraneum ſpecus inſtar domicilium, cuius ingreſſus longiſſimus verſus lumen in antrum totum pateat: in eo homines nutritos a pueritia ceruicem & crura ita deuinctos, vt & immobiles permanere cogantur; & ad anteriora ſolum proſpicere; capita vero vinculis adſtricta circumagere nequeant. Poſt tergum autem ſuperne ac procul ignis fax ſuſpenſa ſit, interque ignem & vinctos homines via ſuperior paullo, ſecus quam paries ſit conſtructus exiguus, ſicut plerumque præſtigiatoribus ſepta quadam, ſuper quibus ſua miranda demonſtrant, coram ſpectantibus opponuntur. Cogita rurſus homines intra parietem ferentes vaſa varia, ſupra parietem eminentia, ſtatuasque hominum, & aliorum animalium lapideas & ligneas imagines, modisque varijs fabricatas: atque, vt conſentaneum eſt, qui hæc circumferunt, partim ſileant, partim loquantur. Quam portentoſa hæc figmenta ſunt? At ſimiles iſti nobis ſunt: nam primum quidem putas iſtos aliud quicquam vel ſui ipſorum, vel proximorum hominum videre præter vmbras quæ ab igne in aduerſam ſpeluncæ partem cadunt? nihil aliud, quando nunquam in vita mouere capita potuerunt. Quid autem eorum, quæ circumferuntur, nonne vmbras dumtaxat? nempe. Si ergo inuicem loqui liceret, nonne vmbras rerum nominibus appellandas eſſe putare eos credamus? neceſſe eſt. Quod ſi Echo ex aduerſa parte carceris reſonaret, quoties præ-*

a 7. de Re. pub. inic.

R tereun-

tereuntium aliquis loqueretur, putaſne ipſos alium quemquam, quam tranſeuntium vmbras loqui exiſtimaturos? non per Iouem. Omnino igitur iſti nihil verum eſſe niſi fabricatarum rerum vmbras arbitrarentur. ita prorſus neceſſe eſt. Contra vero nunc animaduerte qualis foret eorum a vinculis ſolutio, ignorantiaque curatio: nempe ſi quis eorum ſolueretur, cogereturque repente ſurgere, collum vertere, ambulare, lumen ipſum aſpicere; doleret protinus, nec propter ſplendorem intueri poſſet illa, quorum vmbras ante cernebat. & reliqua: Quæ mox declarans Plato ſubnectit, *Tota hæc imago, o amice Glauce, referenda eſt ad illa, quæ ſupra dicta ſunt: Carcer quidem is ad eam, quæ cernitur oculis, mundi machinam: fax vero ignis in ſpecu, ad Solis potentiam: poſtremum ſi aſcenſum ad ſupera, eorumque conſpectum, rite ad eum qui ad intelligibilem regionem tendit, aſcenſum retuleris, vt ego quidem ſpero non aberrabis, poſtquam ſententiam meam audire deſideras. Deus autem nouit an vera ſit.* Sed eam eſſe veram edocet nos ſacra pagina; ſiquidem

b Pſ.141. in *b* Pſalmo, cui titulus eſt, *Intellectus Dauid quum eſſet in ſpelunca oratio*. vbi legitur verſiculus, *Educ de cuſtodia animam meam*. Speluncę nomine Gloſſographus interlinearis interpretatur cum ſeculum, hoc eſt, hunc Mundum ſenſibilem; tum etiam carnem; hoc eſt, corpus humanum: Hoc idem ſentit Diuus Auguſtinus; qui verſiculum etiam explicans, ait, *De cuſtodia, alias de carcere: hic carcer, vel ſpelunca Mundus poteſt dici, vbi omnia vana: vnde rogat educi animam, quæ inde multa patitur. Vel, carcer dicitur corpus: ſed non eſt magnum de corpore exire; quod & mali habent, & omnes cito vel ſero: nec eſt charitas ſi iuſtus ad hoc nimis feſtinat. Vel potius corpus eſt carcer, non vtique ſecundum id, quod Deus bonum fecit; ſed corruptio eius ex peccato; de qua vult educi, vt fiat incorruptibilis: Merita carcerem faciunt: Vnum habitaculum, incluſo carcer eſt, cuſtodia, domus: Libertas domum facit, ſeruitus carcerem: ita caro; non quam Deus fecit, ſed corruptio eius, & tentatio carcer eſt.* Apud Ethnicos etiam Autores humanum corpus eſt

car-

carcer animæ; quia mens impeditur a corporis ergaſtu-lo ne poſſit ſemper intelligere, & intelligendo ne ſemper verum aſſequatur; neve Diuinas Intelligentias, Diuinarumque mentium attributa comprehendat: Quam ſententiam profeſſi fuerunt Cicero, Macrobius, Ariſtoteles, & Plato: Cicero quidem in Somnio Scipionis inquiens, *Hic ego, etſi eram perterritus non tam metu mortis, quam inſidiarum a meis, quæſiui tamen viueretne ipſe, & pater Paullus, & alij, quos nos extinctos arbitraremur: Immò vero, inquit, ij viuunt, qui e corporum vinculis, tamquam e carcere, euolauerunt: veſtra verò, quæ dicitur vita, mors eſt.* & mox. *Non eſt ita, inquit, niſi enim cum Deus hic, cuius hoc templum eſt omne quod conſpicis, iſtis de corporis cuſtodijs liberauerit, huc tibi aditus patere non poteſt.* & adhuc infra. *Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec iniuſſu eius a quo ille eſt nobis datus ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamini.* Quem Tullij locum explicans Macrobius c infit, *Antequam ſtudium Philoſophiæ circa naturæ inquiſitionem ad tantum vigoris adoleſceret, qui per diuerſas gentes autores conſtituendis ſacris ceremoniarum fuerunt, aliud eſſe inferos negauerunt quam ipſa corpora, quibus incluſæ animæ carcerem fœdum, tenebris horridum ſordibus, & cruore patiuntur: hoc animæ ſepulchrum, hoc Ditis concaua, hoc inferos vocauerunt: & omnia, quæ illic eſſe credidit fabuloſa perſuaſio, in nobismetipſis, & in ipſis humanis corporibus aſſignare conati ſunt: obliuionis fluuium aliud non eſſe aſſerentes, quam errorem animæ obliuiſcentis maieſtatem vitæ prioris, qua, antequam in corpus traderetur, potita eſt, ſolamque eſſe in corpore vitam putantis: Pari interpretatione Phlegetontem ardores irarum, & cupiditatum putarunt; Acherontem, quicquid feciſſe dixiſſeve vſque ad triſtitiam humanæ varietatis more nos pœnitet; Cocytum, quicquid homines in luctum lacrymasque compellit: Stygem, quicquid inter ſe humanos animos in gurgitem mergit odiorum: Ipſam quoque pœnarum deſcriptionem de ipſo vſu conuerſationis huma-*

c lib. 1. cap. 10.

Digitized by Google

næ ſumptum crediderunt: Vulturem iecur immortale tundentem, nihil aliud intelligi volentes, quam tormenta malæ conſcientiæ obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione lanıantis, ſemperque curas, ſi requieſcere forte tentauerint, excitantis, tamquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miſeratione parcentis, lege hac, qua ſe iudice, Nemo nocens abſoluitur; nec de ſe ſuam vitare poteſt ſententiam: Illos autem epulis ante ora poſitis excruciari fame, & inedia tabeſcere, quos magis magisque acquirendi deſiderium cogit præſentem copiam non videre; qui in affluentia inopes, egeſtatis mala in vbertate patiuntur, neſcientes parta reſpicere, dum egent habendis: Illos radijs rotarum pendere diſtrictos, qui nihil conſilio prauidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, ſeque & actus omnes ſuos fortunæ permittentes, caſibus & fortuitis ſemper rotantur. Saxum ingens voluere, inefficacibus laborioſisque conatibus vitam terentes: atram ſilicem lapſuram ſemper & cadenti ſimilem illorum capitibus imminere, qui arduas poteſtates, & infauſtam ambiunt tyrannidem, nunquam ſine timore victuri; & cogentes ſubiectum vulgus odiſſe, dum metuat, ſemper ſibi videntur exitium, quod merentur, excipere. Nec fruſtra hoc Theologi ſuſpicati ſunt; nam & Dionyſius aulæ Siculæ inclementiſſimus incubator, familiari quondam ſuo ſolam beatam exiſtimanti vitam tyranni, volens quam perpetuo metu miſera, quamque impendentium ſemper periculorum plena eſſet, oſtendere, gladium vagina raptum, & a capulo de filo tenui pendentem, mucrone demiſſo, iuſſit familiaris illius capiti inter epulas imminere: quumque ille inter & Siculas & tyrannicas copias præſentis mortis periculo grauaretur; Talis eſt, inquit Dionyſius, vita, quam beatam putabas; ſic nobis ſemper mortem imminentem videmus: æſtima quando eſſe felix poterit, qui timere non deſinit: Secundum hæc igitur, quæ a Theologis aſſeruntur, ſi vere Quisque ſuos patimur manes; & inferos in his corporibus eſſe credimus; quid aliud intelligendum eſt, quam mori animam, quum ad corporis inferna demergitur; viuere autem, quum ad ſupera poſt corpus euadit? d Dicendum eſt, quid his poſtea veri ſolici-

d cap. 11.

licitior inquiſitor Philoſophiæ cultus adiecerit; nam & qui primum Pythagoram, & qui poſtea Platonem ſecuti ſunt, duas eſſe mortes, vnam animæ, animalis alteram prodiderunt; mori animal, quum anima diſcedit e corpore; ipſam vero animam mori aſſerentes, quum a ſimplici & indiuiduo fonte naturæ in membra corporea diſſipatur; & quia vna ex his manifeſta, & omnibus nota eſt; altera non niſi a ſapientibus deprehenſa, cæteris eam vitam eſſe credentibus; ideo hoc ignoratur a plurimis, cur eumdem mortis Deum modo mitem, modo immitem vocemus; quum per alteram, ideſt, animalis mortem abſolui animam, & ad veras naturæ diuitias, atque ad propriam libertatem remitti, fauſtum indicio ſit; per alteram vero, quæ vulgo vita exiſtimatur, animam de immortalitatis ſuæ luce ad quaſdam tenebras mortis impelli, vocabuli teſtemur horrore; nam, vt conſtet animal, neceſſe eſt vt in corpore anima vinciatur; ideo corpus δέμας, hoc eſt, vinculum, nuncupatur; & σῶμα, quaſi quoddam σῆμα, ideſt, animæ ſepulchrum. Vnde Cicero pariter vtrumque ſignificans, corpus eſſe vinculum, corpus eſſe ſepulchrum, quod carcer eſt ſepultorum, ait, Qui e corporum vinculis, tamquam e carcere euolauerunt. Hoc placitum fuiſſe Platonis, aperte conſtat ex ijs, quæ ſcripſit in Cratylo, dum ait, *Quod vero poſt hoc ſequitur corpus, nonne σῶμα nuncupas? certe; atqui videtur mihi in hoc nomine paulliſper ab origine declinari; nempe corpus hoc animæ σῆμα, ſepulchrum quoddam eſſe tradunt; quaſi ipſa præſenti in tempore ſit ſepulta: atque etiam quia anima per corpus σημαίνει, ſignificat quæcumque σημαίνῃ ſignificare poteſt; & idcirco σῆμα iure vocari. Videntur mihi præterea Orphei ſictatores nomen hoc ob id potiſſimum poſuiſſe, quod anima in corpore hoc delictorum det pœnas; & hoc circumſepto valloque claudatur, velut in carcere quodam, σώζηται ſeruetur: Eſſe itaque volunt hoc ita, vt nominatur, animæ σῶμα ſeruandi gratia clauſtrum, quoad debita quæque expendat, neque litteram aliquam adijciendam putant.* Quod placitum collaudauit Apoſtolus inquiens ad e Romanos, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* cęterum & hanc ſententiam

e cap. 7. in f.

col-

collaudat non vno in loco Ariſtoteles, & primo quidem dicens, Intellectum humanum non bene ſe habere dum materiæ copulatus, eſt in hoc corpore, velut in carcere, & in hoc homine, velut in ſepulchro; verum optime ſe habere, dum ſeparatus a corpore degit in Mundo, vt quoddam totum ſui generis, verba Philoſophi aurea ſunt hæc, *f An omne non habens materiam indiuiſibile eſt? quemadmodum humanus intellectus, aut qui compoſitorum in aliquo tempore ſe habet: nam non bene eſſe habet in hoc, aut in hoc; verum in toto quoddam, quod optimum eſt, aliud ab eo exiſtens: ſic autem ipſa ſuiipſius intellectio per totum æternum ſe habet*. Quæ latius a nobis explicantur in Opere De *g* Immortalitate Rationalis Animæ. Deinde vero dicens, *h Laborioſum autem eſt & commiſtum eſſe corpori, non potens abſolui; & præterea fugiendum: ſiquidem melius eſt intellectui non cum corpore eſſe; quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet*. Quorum diligentior explicatio deſumenda eſt ex eodem *i* opere noſtro. Deinceps autem in Dialogo ad Eudemum aſſerens, teſtimonio *k* Plutarchi, melius eſſe non naſci, vel natum citiſſime mori, quam diu mortales viuere in hoc materiali corpore: quod placitum etiam late diſcuſſimus *l* ibidem. Sic igitur ſumma ponitur agnoſciturve Mundum inter & Hominem analogia, quod vterque Carceri, Speluncæ, ac ſi placet ſepulchro ſimilis eſſe probatur a viris ſapientibus.

f 12 meta. t. 51.
g lib. 3. c. 2. lib. 4. c. 25.
h 1. de an. t. 49.
i 3. de im. c. 5.
k in vit. Dionyſ. & in Conſol. ad Apollon.
l 3. de im. an. c. 8.

Mundus, & Homo Prouinciæ bene gubernatæ ſimiliter comparatur. Cap. XXVI.

SEpulchrum, Carcer, Specus, & Ciuitas omnis eſt in aliqua Prouincia. Mundus, & Homo, qui nuper Ciuitati, Speluncæ Carcerique comparati, quapiam affinitate donabantur; ijdem eam etiam cogna-

gnationem obtinent, quod ambo Prouinciæ ſimiles eſſe dicuntur: nam Ariſtoteles agens de *a* Vniuerſo, perſpicuis verbis ait, *Atqui ſtatuere nos oportet magni ipſius Regis faſtigium, prout quidem eſt Dei Optimi eminentia, qui pro poteſtate Mundum tamquam Prouinciam obtinet, tam eſſe infimum, quam eſſe ſummum hoc ipſum Regis faſtigium, ſi cum animante quodam viliſſimo, atque infirmiſſimo componeretur:* Quibus analogia ponitur inter Deum, Regem, & Animam; interque Mundum, Prouinciam, & Hominem. Cæterum in Prouincia ſunt plures ciuitates inuicem ſubordinatæ, ac vni Regiæ ſubiectæ, a qua gubernantur: ſic in Mundo quinque ſunt veluti ciuitates, Cælum, & quatuor elementa, Cęlo ſubiecta, & a Cęlo gubernata, quod monuit *b* Ariſtoteles, Neceſſarium fuiſſe Mundum inferiorem hunc elementarem contiguum eſſe ſupernis lationibus, vt omnis huius Mundi virtus gubernetur inde. Similiter in Homine ſunt quatuor veluti Ciuitates, tres Ventres, Caput, Pectus, Abdomen, & Artus; quorum tria cætera ſubiecta ſunt, vel Pectori tamquam Regiæ, a qua totum corpus gubernatur, ac regitur, vt aſſerit Ariſtoteles, *c* *Cor enim in parte priori, atque in medio ſitum eſt; in quo principium vitæ, omniſque motus, & ſenſus eſſe cenſemus: etenim partem verſus, quam priorem appellamus, tum ſenſus, tum etiam motus agitur.* & paullo *d* poſt, *Cor enim ſtatim omnium partium primum conſiſtens, ſanguinolentum eſt: motus etiam lætitiæ, ac triſtitiæ, denique omnium ſenſuum hinc oriri, eodemque deſinere videntur. Ratione quoque ita eſſe probatur: principium enim vnum eſſe oportet, vbicumque fieri poteſt: aptiſſimus autem omnium locorum medius eſt: medium enim vnum eſt, & tale, vt vndique attingi, vel æque, vel proxime poſſit.* vel capiti, vt placet *e* Platoni, ac *f* Medicis, non admodum repugnante Ariſtotele, quandoque ſcribente, *g* *Quadam vero ſimul partes quæcumque principales, & in qua prima ratio, & ſubſtantia; vt puta ſi hæc cor, aut ce-*

re-

a lib. de mund. c. 7.

b 1. meteo. ſu. 1. cap. 2.

c 3. de part. an. cap. 3.

d cap. 4.

e in Timeo.

f Gal. introd. c. 11. 3. de decr. cap. 5.

g 7. meta. t. 35.

rebrum: nihil enim differt, vtra talis ſit. Sic ergo Mundo cum Homine magna intercedit analogia in eo, quod vterque Prouinciæ comparatur apte.

Mundus, & Homo pariter ſimilis eſt Exercitui. *Cap. XXVII.*

PRouincia dicitur quod procul vinci videatur: aſſerit enim Hegeſippus, Romanos, quum in ius ſuum vincendo redigerent procul poſitas regiones, appellaſſe Prouincias: Quare Prouincia non eſt ſine Exercitu: Qui ergo nuperrime viſus eſt Homo, & Mundus obtinere Prouinciæ rationem; ijdem nunc in eo conuenire videntur, quod ambo pariter Exercitui recte comparantur. Mundus quidem, de

a 12.meta. t.52. quo Ariſtoteles tum in prima Philoſophia ſcribit, *a Perſcrutandum autem etiam hoc, quonam modo natura Vniuerſi habeat ipſum bonum, & ipſum optimum: vtrum ſeparatum quiddam, & ipſum, an per ſe, an ipſo ordine. An vtroque modo, quemadmodum exercitus: etenim bene eſſe eius, in ordine, & Dux ipſe eſt; ac magis ipſe; non enim ipſe propter ordinem, verum ordo propter ipſum eſt. Cuncta autem coordinata quodammodo ſunt, verum non ſimiliter & natantia, & volatilia, & plantæ; nec ita ſe habent, vt ſit vllum alteri ad alterum, ſed ſunt ad quippiam: ad vnum namque coordinata ſunt*

b lib. 7. de mund. c. 7. *omnia.* tum etiam ad Alexandrum ait, *Itaque ille omnium princeps, parensque, animaduerſu ſenſu ſpectabilis, ſimul ac ſignum naturis dederit inter cælum terramque vehentibus, earum vnaquæque in orbibus ſuis iugi motu cietur, atque inter ſuos limites, alternis conditis atque apparens, ſexcentas illa formas eodem a principio exhibens, viciſſimque ſubducens. Quod vero in hiſce rebus agitur, magnopere ſimile eſt ijs, quæ belli tempore inter homines factitantur: namque ſtatim vt claſſicum exaudiri in exercitu captum eſt, alios*

ipſe

ipſe videas ſcuta ſibi aptantes, loricam alios induentes, alios ocream vel galeam ſumere, vel balteo ſe cingere feſtinantes: Rurſus videas qui frænatos equos admittant, alios qui currus conſcendant, qui denique teſſeram per explicatam aciem prodant. Tum manipuli ductor ad manipulum, centurio currit ad centuriam: poſtremo equites ad cornu, velites ad ſtationem quiſque ſuam feſtinant. Quum interim ſub vno ductore omnia moueantur, qui imperia & ipſe ſignificanda accepit ab eo, apud quem ſumma eſt imperij: eodem nos & ipſos modo cenſere conuenit de Vniuerſo: Quum enim ab vna vi impultrice cieantur omnia, fit vtique quod cuique commodum eſt, & conueniens. & non multo poſt. *Vt ſummatim vero iam loquamur, quod in naui gubernator eſt, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & Dux in exercitu, hoc Deus eſt in Mundo.* Sic igitur apte Mundus Exercitui comparatur, quod & ea ratione probatur, quia ſemper in Mundo pugna ſpectatur inter contraria; iugis eſt enim humidorum cum ſiccis, calidorum cum frigidis, aliorumque plurium oppoſitorum cum ſuis contrarijs digladiatio; vt non immerito Mundum a lite, diſcordiaque regi ſtatuerit Empedocles. Cæterum & Hominem Exercitui, cuius bonum in ordine conſiſtit, & in Duce; ſcilicet in coordinatione membrorum corporis, & in animo, comparat apte non ſolum Ariſtoteles, verum etiam Sacra ſcriptura: Philoſophus quidem, dum agens de functione intellectus humani circa prima principia, ſic infit, c *Neque itaque inſunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus notioribus, ſed a ſenſu, vt in pugna verſione facta vno ſtante, alter ſtetit, poſtea alter, quorſque ad principium venit: anima vero eſt talis, vt poſſit pati hoc.* & alibi tractans de humano intellectu practico, d ſcribit, *Formas igitur intellectiuum in phantaſmatibus intelligit:* e *Et ſicut in illis determinatum eſt ipſi perſequendum & fugiendum; ſic & extra ſenſum, quum in phantaſmatibus fuerit, mouetur; vt ſentiens ſignum face datum, quod ignis, communi cognoſcit, videndo*

c 2. poſt. anal. t. 105

d 3. de an. t. 32.

e 3. de an. t. 53.

eum, qui ſe mouet, quod hoſtis eſt: aliquando autem ijs, quæ ſunt in animâ, phantaſmatibus, aut intelligentijs, tamquam videns ratiocinatur, & deliberat futura ad præſentia. Quæ ſic interpretabere, vt exemplum bellicum, quo nunc vtitur Ariſtoteles ad explicandam naturam functionis intellectus humani, ſatis indicet humanam naturam Exercitui bellico comparari. Sacra vero pagina; dum Hominem illam, cuius f filium eſſe ſe Dei vnigenitus frequentiſſime prædicat, Exercitui comparat g inquiens; *Pulchra es amica mea, & ſuauis & decora ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata;* & mox. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi auroraconſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Quibus Exercitus homini mulieri comparatur apertiſſime. Porro ſunt in Homine milites, facultates animæ vegetalis, & ſenſitricis variæ multiplicesque; Dux eſt vnus intellectus, Regina voluntas: in humano corpore Dux Ariſtoteli cor eſt, Medicis cerebrum; vtriſque ſunt alia membra milites variorum graduum. Quin & apud h Iob, *Militia eſt vita hominis ſuper terram;* & apud Gloſſographium i Leuitici, *Caſtra ſunt præſens vita, in qua ſemper contra ſpirituales nequitias pugnamus.* Seneca pariter in eamdem ſententiam inſit, k *Atqui viuere, mi Lucili, militare eſt.* Sic igitur magna reperitur inter Mundum, & Hominem analogia; quum vterque comparetur Exercitui.

f Matth. 8. 9. 10. 11. & ſeqq. plur. Marc. 2. 8. 9. & ſeqq. Luc. 5. 6. & ſeqq. Ioan. 1. 3. & ſeqq.
g Cantic. cap. 6.
h cap. 7.
i cap. 6.
k epiſt. 97.

Mundum, & Hominem apte Currui comparari. Cap. XXVIII.

IN exercitu plurimus eſt Curruum vſus tum ad vehendas machinas, & commeatus, aliaſque ſarcinas; tum ad prælіandum; quum olim falcatis Curribus plurimum dimicaretur: Quos ergo nuper-

rime

rime vidimus Hominem, & Mundum exercitui ſimiles; eoſdem legimus apud Claſſicos Autores miram cum Curru ſimilitudinem habere; nam Ariſtoteles apertis verbis ait, *Quod in Curru agitator, hoc eſt Deus in Mundo.* de mund. cap. 7. Sane mundani Currus rotæ ſunt cæleſtes orbes in eodem ſtadio circumducti perenni curſu; equorum inſtar ſunt ductrices Intelligentiæ ſecundæ ſphæris aſſiſtentes; Auriga Deus optimus, ad cuius nutum mentes illæ motrices ſuas voluunt rotas. Verum & Hominem Currui comparat in Phædro Plato, dum ideam animæ proponens infit, *De immortalitate animæ ſatis eſt dictum: de idea vero ipſius in hunc modum eſt dicendum. Quale id omnino ſit, diuinæ penitus, prolixæque narrationis foret: ſimilitudinem vero quamdam eius deſcribere, humanæ, & breuioris: hoc igitur modo dicamus. Similis eſto cognatæ potentiæ ſubalati currus & aurigæ. Deorum equi, & aurigæ omnes boni ſunt, atque ex bonis, aliorum vero permiſti. Principio quidem noſtri Princeps bigas habenis moderatur: deinde equorum alter bonus & pulcher, & ex talibus, alter contrarius & ex contrarys: Quo fit vt dura & difficilis neceſſario ſit vectura noſtra. Qua vero ratione mortale, & immortale animal appellatum eſt, conandum eſt dicere. Omnis anima totius inanimati curam habet, totumque percurrit cælum, alias videlicet alias ſortita ſpecies: Perfecta quidem dum eſt & alata, ſublimis incedit, ac totum gubernat mundum. Cui vero alæ defluxerint, fertur quoad ſolidum aliquid apprehenderit, vbi habitaculum ſortita, corpusve terrenum ſuſcipit, ſe ſe mouere apparens propter illius potentiam: animalque totum vocatur, anima ſimulque corpus compactum, & mortale animal cognominatur: Immortale autem ex nulla ratione diſcurſu percepta, ſed qua fingitur: quippe quum neque viderimus, neque ſatis intellexerimus Deum, immortale quoddam animal habens quidem animam, habens etiam corpus naturaliter omne tempus coniuncta. Sed hæc iam vti Deo placet, ita ſe habeant, & dicantur; per quam vero cauſſam alæ abijciantur, decidantque ab anima, nunc dicamus. Eſt autem ta-*

lis quædam, naturalis alarum vis eſt, graue in ſublime attollere, vbi Deorum inhabitat genus: omnium vero, quæ ſunt circa corpus, maxime particeps diuini eſt animus: diuinum autem pulchrum, ſapiens, bonum, & quicquid tale dici poteſt: his vtique alitur maxime, augeturque ipſa alatio animi; turpi autem, & malo, contrarijsque huiuſmodi deficit atque interit. Magnus vtique dux in cælo Iupiter citans alatum currum primus incedit, exornans cuncta, prouideque diſponens, &c. Quibus Plato Currui comparat non ſolum Vniuerſum, cuius Aurigam & rectorem ponit Deum ſummum, equos vero cæleſtes Intelligentias; verum etiam animæ naturam, in qua mentem ponit Aurigam, at equos inſtituit duos appetitus, rationalem, & irrationalem; quorum ille voluntatis nomine donatus dicitur equus pulcher & bonus; hic vero ſenſitiuus appetitus turpis & malus eſſe ſtatuitur; quorum diſſidio fit vt humanæ vitæ curſus difficilis ſit; quum Mundi Currus equis bonis actus, ſit facilis & vniformis; ſolo namque ducitur appetitu rationali, carens irrationali: quum Currus ſit vtriuſque corpus; alæ vero ſint appetituum cupiditates, & deſideria. Sic igitur in eo ſumma Mundi cum Homine ſimilitudo, & analogia intercedit; quod vterque Currui alato comparatur: Quam doctrinam, & Ariſtoteles mira breuitate complexus eſt duplici theoremate; *b* de mund. c. 7. quorum altero *b* ſtatuit Deum in Mundo eſſe hoc, quod Auriga eſt in Curru; altero decernit ita ſe habe- *c* 1. meta. ſu 2. cap. 2. re *c* Diuinum intellectum in tota Mundi natura, vt ſe habet intellectus humanus in animalibus rationalibus, adeoque in Homine: vnde colligas Hominem eſſe Currum quemdam alatum, atque animatum, quemadmodum eſt Mundus.

Analogia Mundi, et Hominis colligitur ex vtriuſque ſimili habitudine partium ad inuicem, & ad ſuum totum. Cap. XXIX.

PORrò ſi exercitus non ſolũ curruum vbertate debet abundare, ſed maxime nititur ordine, quo milites omnes inter ſe, atque ad vnum Imperatorem apte referuntur: quum ſimilis ordo maxime ſpectetur inter partes Mundi, & Hominis in habitudine ad ſuum totum: profectò pulcherrimam eſſe Mundi cum Homine proportionem neceſſe eſt. Hanc autem partium humani corporis inter ſe, & ad ſuum totum ordinatam proportionem optime nobis depinxit Hippocrates in ænigmatico ſuo illo volumine De Alimento ſcribens, *Confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia: Iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta partem vero, partes in vnaquaque parte ad opus. Principium magnum ad extremam partem peruenit: & extrema parte ad magnum principium peruenit. Vna natura, eſſe, & non eſſe.* Quæ ſic primum de Mundo, deinde de Homine proportionabiliter interpretamur. De Mundo quidem, quia in Vniuerſo *vna confluxio* eſt luminis, & motus a cælo in totam regionem elementarem; vt enim ſpacio vigintiquatuor horarum primum mobile rotatur ab ortu per occaſum in ortum, & diurno hoc motu ſuo rapit in gyrum non repugnantes, licet in contrarium tendentes motibus proprijs, cæteras cæli ſphæras, & elementum ignis, & ſupremam regionem aeris circa terram: cuius motus veſtigium a nautis obſeruatum in oceano, ſuas aquas perpetuo ab oriente in occidentem verſante, ſatis indicat eodem volumine circumduci medium, & inferum aerem;

etſi ob ſui raritatem aer eiuſmodi motum fatiſcentis demum circumuolutionis gerat inadſpectabilem; quum maris denſior corpulentia tardiorem eumdem gyrum ſenſui viſus vtcumque ſubijciat: ita plane iugiter a cæli parte ſiderea, Soleque ſpeciatim lumen effunditur ad terram vſque in omnem Mundi partem; quamuis etiam ad centrum terreni globi cæleſte lumen effundi Platonici ſenſerint, nuſquam tenebras agnoſcentes: Ficinus
a lib. de lumin. cap. 5. etenim apud *a* Plotinum aſſerit, *Luminis vehiculum eſſe perſpicuum vbique diffuſum, etiam in corporibus opacis; vbi color in ſuperficie quædam eſt portio luminis; in profundo lumen ineſt, ſed inuiſibile*. Quam poſitionem nos fuſius expendimus in
b lib. 1. Opere noſtro *b* De lumine; propediem inuulgando. Addunt alij cæleſtes ab empyreo, alij a cælis etiam inferioribus influentias, occultis viribus a motu & lumine diſtinctis innixas, in vniuerſas Mundi partes permeare; de quarum influentiarum admirabili poteſtate multa
c in com. ad Procl. Sphær. p. 122. nimium prædicant Arabes Aſtrologi, & *c* Stœflerus ad Perſei ſtellas: Verum enimuero nobis probatur *confluxio vna motus, & luminis a cælo per vniuerſum Mundum*: Cui confluxioni correſpondet in Homine *confluxio vna ſpirituum, & caloris, & alimenti a corde per venas, & ar-*
d de vit. & mor c. 2. 2. de gen an. c 4. *e* l. 1. f. 1. doc. 5. c. 1. 3. de nat. an. c. 4. *f* lib. de cord. terias in vniuerſum corpus; vt decreuit *d* Ariſtoteles, & recepit *e* Auicennas ab Ariſtotele; quum hoc ipſum ab Hippocrate recipere potuiſſet, apud quem legimus, *f* Cor præditum eſſe duobus ventriculis, *qui*, ait, *ſunt fontes humanæ naturæ; vnde exeunt flumina, quibus totum corpus irrigatur: atque hi etiam vitam homini conferunt; & vbi reſiccati fuerint, homo moritur*. Proportione correſpondent mo-
g 6. epid. par. 7. tui quidem cæleſti ſpiritus, quos Hippocrates *g* alibi nũcupat impetum facientes; lumini vero nutrimentum, quia lumen cæleſte viuificum quid eſt in Mundo, & ali-
h 2. de an. t. 47. mentum conſeruat vitam; conſeruat enim *h* eſſe viuen-

uentis, quod nihil aliud eſt quam *i* viuere. Quod ſi motui, ac lumini à Cœlo in Vniuerſum confluentibus dare placuerit ſocium tertium influentias; non deerit in homine calor a corde influens in totum corpus, qui mirifice proportione reſpondet influentijs nuncupatis. Vel etiam clarius, motui cæleſti correſpondet motus cordis; lumini vero calor cordis; nam vt motus cæli circularis eſt ab eodem ad idem, & cauſſa efficiens omnium motuum in Mundo elementari; ſic motus diaſtoles, & ſyſtoles cordis inceſſabilis quoquopacto ab eodem ad idem eſt; & cauſſa eſt vnde pendent pulſus, ac motus arteriarum in vniuerſo corpore: vtque lumen à cælo diffunditur in totum elementarem Mundum, in eo calorem gignens, ita calor cordis diffunditur in totum corpus, viuificatque ſingulas particulas. Si tertias quæras influentias, hæ tibi fuerint vires pulſificæ, vel potius influentes a corde ſpiritus in omnia membra. Sic igitur in Mundo, & in Homine eſt *confluxio vna*. Quin &, quod ſtatim adijcit Hippocrates, *Conſpiratio vna*, quia quum tria ſint *k* Ariſtoteli genera corporum ſimplicium, ex quibus velut elementis vniuerſa Mundi machina compaginatur, grauia, leuia, & neutra; hæc omnia conſpirant ad Vniuerſi conſtitutionem vno ſui naturali motu, vnaque ſui naturali propenſione tendentia quælibet ad ſua loca, quieſcentia quælibet in ſuis locis; nimirum grauia ad centrum delata, ibique quieſcentia; leuia circa grauia vndique à centro ſublata, ibique ſemper quieſcere geſtientia; & neutra circa hæc omnia intra ſe comprehenſa perpetuo circumgyrantia: Itidem humanum corpus *l* Hippocrati conſtat omne triplici genere ſubſtantiarum, quas appellat ipſe Continentia, Contenta, & Impetum facientia; quæ proprie ſunt ſolidæ partes, humores, atque ſpiritus; ex quibus adeo tota natura

Ho-

i 2. de an. t. 37.

k 1. cæl. t. 91.

l 6. Epid. par. 7.

Hominis conſtituitur, vt ex his tantum conſpirantibus ad certas ſedes humanum corpus integrari videatur. Proportione vero correſpondent ſolidæ quidem partes orbibus æthereis, qui & intra ſe corpora reliqua continent, & ea ſoliditatis conditione donantur, vt externis iniurijs omnino reſiſtant; etenim ſunt incorruptibilia: Contenta vero comparantur grauibus elementis, quæ nihil prorſus continentia continentur in Mundi centro: demum impetum facientia leuibus æquiparantur, quæ mobilitate maxima donantur. Sic itaque *conſpiratio vna* eſt tum in Mundo ſimplicium corporum grauium, leuium, & neutrorum, ſeu terræ, aquæ, aeris, ignis, & cælorum ad Vniuerſi conſtitutionem; tum etiam in Homine Continentium, Contentorum, & Impetum facientium, ſeu partium ſolidarum, humorum, atque ſpirituum ad humani corporis compoſitionem. Addit Hippocrates, *Conſentientia omnia*, quoniam in Mundo conſentiunt omnia corpora ſimplicia ſibi inuicem communi quapiam proprietate, qua colligantur apte ad Vniuerſi compaginem; cæleſtium omnia * mobilia ſunt motu ſimplici, & in ſuis locis vtcumque quieſcentia: tum terra ſibi grauitate ſua determinat Mundi centrum; circa quod cæleſtia corpora voluuntur aſſidue; qua grauitate, præterea que frigiditate, ac denſitate terra proxime coniungitur elemento aquæ paullo minus graui, frigido, ac denſo; quod elementum aquæ humiditate, ac perſpicuitate, grauitateque conſentit cum aere, grauitatis, humiditatis, & perſpicuitatis non experte: Aer autem perſpicuitate pariter, calore, tenuitate, ſubtilitate, raritateque ſubſtantiæ conſenſum habet cum elemento ignis: Ignis vero denique cum cæleſti corpore communem obtinet *m* perſpicuitatem, *n* mobilitatem, ſiue motum *o* circularem vtcumque, ac lucem in ſuis partibus conden-

* 1. cæl. c. 5. & ſeqq.

m 2. de an. t. 68.

n 5. de no. Aſtr. c. 50.

o 1 meteo. ſū. 1. cap. 4.

denſatis; vt late demonſtrauimus in Opere de Nouis Aſtris, & *p* Cometis. Similiter in humano corpore con- *p* lib. 3. cap. 12.
ſentientia ſunt omnia, tũ quia in ægritudinibus principis alicuius membri, partes omnes aliæ illi vni compatiũtur: tum quoniam in habitu ſanitatis omnia mẽbra mutuam ſibi inuicem operam præſtãt; quia Cor per arterias vnicuique parti ſpiritum vitalem, & calorem tribuit; Cerebrum per neruos vnicuique ſimiliter alteri particulæ ſenſum, & motum; Hepar per venas ſingulis particulis alimentarium ſanguinem; & quælibet alia particula ceteris vſum, vel functionem aliquam; quod late nobis demonſtrauit Galenus in ſuis De vſu partium libris, oſtendens vnamquamque partem humani corporis miniſterium, vel vtilitatem quampiam veluti ſymbolum conferre ad totius Hominis vitam, & incolumitatem: Quare *conſentientia omnia* pariter in Mundo ſunt, & in Homine. Quod magis explicat *q* ibidem Hippocrates *q.* lib. de
addens, *Iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta par-* alim.
tem vero partes in vnaquaque parte ad opus. Quoniam in Mundo corpora omnia ſimplicia, ſeu elementa integra ſunt collocata ſecundum congruentem naturam corporis Vniuerſi; quia ſuperiora & *r* nobiliora *ſ* gubernant in- *r* 1. cæl. t. 13. 17.
feriora vilioraque, in eaque agunt veluti *t* forma in ma- *ſ* 1. meteo.
teriam, ad Vniuerſi ſalutem, ac perfectionem: In quouis ſu. 1. c. 2.
autem elemento partium diſcrimen eſt ſecundum puri- *t* 2. de gen.
tatem, ac impuritatem, maioremque, ac minorem perfe- t 50.
ctionem, vt conſtat ex eodem *u* Ariſtotele: Quæ par- *u* 1. meteo.
tium diuerſitas elemento cuique confert ad proprium ſu. 1. cap. 4.
opus obeundum; quum enim geminum ſit cuiuis elemento munus; quorum alterum eſt Mundi conſtitutio, & alterum miſtorum tam viuentium, quam inanimorum generatio; ſingula elementa ratione ſuarum partium puriorum, ac perfectiorum, ſeu ſuperiorum in proprijs

locis commorantur, & Vniuerſi conſtitutionem moliuntur; at ratione ſuarum partium impuriorum, imperfectiorum, ſeu minus ſyncerarum, quas Ariſtoteles appellat x aliquando Naturam inordinatiorem, ad miſtorum generationem promouendam concurrunt. Conſimiliter in Homine omnia membra præcipua, ſiue ſumma, vt ita loquar, caput, thorax, venter, & artus, in quæ primum partiuntur Humanum corpus Anatomici, collocata ſunt & ordinata inter ſe ſecundum naturam congruentem Vniuerſo corpori; quia caput, in quo ſenſus omnes, & * oculi præſertim continentur, ſupremam corporis totius regionem occupat, vt a lõge proſpiciat Homo quæ proficua ſibi ſint proſequenda, & quæ noxia ſint euitanda. Thorax, in quo fons caloris vitalis cor reſidet, in medio corporis ſitum eſt, vt facile poſſit omnibus particulis vitalem calorem communicare: Venter, in quo viſcera nutricationi, generationique ſobolis dicata, & excrementis deſtinata locantur, inferiorem partem obtinere debuit, ne coctionum vniuerſalium, & excrementorum motus vehementes, ac tetri multique vapores turbarent ſimulachra cognitioni deſeruientia, ſenſuum exteriorum, & interiorum organis impreſſa, & facultatibus cognitricibus repręſentantia obiectorum iudicandorum ideam, atque naturam. Artus denique procul a ventribus his expediti poſiti ſunt a natura, vt externis motibus dicati valentioribus non impedirent capitis, pectoris, & abdominis operationes; quæ quiete, lenique motu perficiuntur. In quouis autem quatuor horum membrorum inuenitur varietas partium, quæ mutuam ſibi operam præſtant ad ſuas operationes rite obeundas: & ſummatim vnaquæque particula in corpore propriam aliquam operationem, aut vſum confert veluti ſymbolum ad totius Hominis vitam, & incolumita-

x 1. meteo. ſu. 1. cap. 1

* Gal. 8 de vſ. par. c. 5.

ta-

tatem; qua de re præclare fuſeque Galenus, vt dicebamus in aureo ſuo volumine De vſu partium inſcripto. Addit Hippocrates, *Principium magnum ad extremam partem peruenit: ex extrema parte ad principium magnum peruenit.* Principium magnum, non mole, ſed *y* virtute, in animali eſt anima: Porro Mundi anima, quæ ſecundum *z* Ariſtotelem eſt Deus Optimus Maximus, Vniuerſo aſſiſtens, & ſingulis Mundi partibus, non concluditur in vna tantum orbis parte, ſed *a* vbique degens peruenit ad quãlibet extremam orbis partem, & ex extrema parte peruenit ad ſeipſum; quoniam in Mundo quum obtineat rationem cauſſæ tum formalis, tum effectricis, tum etiam finalis, vt late *b* ſuperius oſtendimus; propterea vt cauſſa omnium efficiens & formalis, ex ſe peruenit ad extremam quamlibet Mundi partem producendam, conſeruandam, & gubernandam; vt omnium finis, ex extrema parte quacumque Mundi peruenit ad magnum principium, quia, quauis parte Mundi corrupta, remanet in ſemetipſo Deus; quod alijs verbis legimus apud autorem Sapientiæ, quem Philonem eſſe *c* prædicant, cui *d* Sapientia, diuinaque Prouidentia, quam *f* Plato pronunciat eſſe animam Mundi, attingit a fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Sed & Pſalmiſta Deum * vbique locorum eſſe prædicat. Pariter in Homine principium magnum eſt anima rationalis, quæ teſtimonio Ariſtotelis æmulata *g* mundanam animam, *h* triplicis cauſſæ rationem obtinet in Humano corpore, formalis, effectricis, atque finalis; quæ vt formalis, tribuens eſſe humanum particulis omnibus; vt efficiens, intellectionum iudicia promouet, citra *i* corporei miniſterium organi, citraque *k* particularum corporis vſum; gubernatque cæteras inferiores animas, vegetalem dico, ſenſitricemque in omnibus earum functionibus

y 1. cæl. t. 33.
z 1. meta. ſu. 2 c. 2. & 12. meta. t. 49.
a 1. de part. cap. 5.
b cap. 1 & ſeqq.
c D. Hiero. & Hebræi.
d cap. 8.
e Ficin. in Dedi. Plat.
f in Timeo.
* Pſal. 138.
g 1. meta. ſu. 2 cap. 2.
h 2. de an. t. 36. 37.
i 3. de an. t. 6.
k 1. de an. t. 92.

obeundis in qualibet corporis particula: demumque vt finis omnium partium corporis, ac totius organizationis, neceſſario toti corpori coextenditur, & a principe parte corporis intima, cui primum inſeritur in hominis conſtitutione, ac ortu; peruenit ad extremam quamlibet humani corporis particulam; vt late probauimus in libro *l* De Animarum coextenſione corpori: eademque in obitu hominis a corpore ſeparatur, & in ſe manens peruenire dicitur ad magnum principium, nimirum ad ſeipſam a corporis contagione abſolutam, atque adeo ad eſſentium æterno *m* æuo ſe ſine difficultate, ac ſine errore intelligentem; vt *n* ſupra vidimus ex Ariſtotele. Demum autem inſit Hippocrates, *Vna natura, eſſe, & non eſſe*: ſcilicet in Mundo, cuius Ariſtoteles *o* duas præcipuas partes agnouit, cæleſtem, ac elementarem; ex quibus vna natura conſurgit vniuerſi; quarum pars ætherea, quod incorruptibilis & æterna ſit, determinatur ipſo eſſe; ſed elementaria, quod generationi, & corruptioni obnoxia ſit, determinatur non eſſe, ſed ipſo fieri; quæ res apud Platonem euidentiſſima eſt, qui res ortui & interitui ſubiectas appellat *p* non entia. Sic in Homine duas partes contemplari poſſumus, mortale corpus, & immortalem animam; ex quibus vna natura conſurgit Hominis integri; quarum partium anima, quum ſit immortalis, dicitur eſſe, ac vere ens, ſeu id quod eſt; vt conſtat ex *q* Ariſtotele: corpus vero, caducum quum ſit, dicitur non eſſe, ſed fieri, & contineri, conſeruarique: quin & corpus ratione materiæ, qua nititur, quę Philoſopho nec ens, nec non ens dicitur, vere non eſſe ſtatuitur in Peripato. Sic igitur ex habitudine partium ad inuicem, & ad totum, ſumma proportio eſt inter Mundum, & Hominem.

l lib. 1. cap. 26. & ſeqq. & lib. 2. c. 1 & ſeqq.

m 12. meta. t. 51.

n cap. 9.

o 4. meta. t. 23.

p dial. de ente.

q 3. de an. t. 20.

r 7. meta. t. 55.

Mun-

Mundi, et Hominis analogia deſumitur ex eo, quod vtriſque proportionatæ congruunt Anni tempeſtates, Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems. Cap. XXX.

MVndi partes principales in habitudine ad ſuum totum duo habent cardinalia tempora; Hyemem, & Aeſtatem; quæ ab *a* Ariſtotele cum a Solis, tum etiam a Lunæ motu prodire conſtituuntur; his notis, *Tum etiam vt menſtrua ſecundum naturam menſibus decreſcentibus potius fiunt, eadem de cauſſa accidit: tempus enim hoc menſis frigidius eſt, & humidius, propter Lunæ decrementum, defectionemque: Sol enim per totum annum hyemem, atque æſtatem facit; at Luna per menſem id agit: quod ita fit, non acceſſu diſceſſuque Lunæ; ſed alterum increſcente luce, alterum decreſcente.* *a* 4. de gen. an. cap. 2.

Quod multo *b* prius etiam admonuerat Ariſtoteles, tum aſſerens, *Cæterum menſtrua nullo circuitu certo deſcribuntur; tendunt tamen moueri decreſcente menſe; idque ratione recta; ſunt enim corpora animalium frigidiora, quum euenit vt continens aer talis efficiatur: menſium autem coitus frigidi ſunt propter Lunæ defectum: itaque fit, vt fines menſium, quam media, ſint frigidiores:* tum inquiens, *c Et propter quid Nilus decreſcente menſe magis fluit? quoniam hybernior decreſcens eſt: & propter quid hibernior decreſcens eſt? quoniam Luna deficit: hæc enim ita ſe habent inter ſe.* *b* 2. de gen. an. cap. 4. *c* 2. poſt. t. 89.

Sunt autem hæc duo tempora paſſiones Vniuerſi; quia quum Vniuerſum ex elementis, & cælo coagmentetur, Ariſtotele *d* doctore; hyemis, & æſtatis cauſſa efficiens cæleſtis eſt, Sol, atque Luna; cauſſa vero materialis eſt elementaria, ſubcæleſtis omnis regio. Cæterum duo tempora his proportionalia recognoſcit in Homine *d* 4. meta. t. 23.

Ma-

c 5. de gen. an. c. 3.

Magiſter, dum ait, c *Calui omnium maxime animalium homines apertę efficiuntur; quod genus affectionis generale quodammodo eſt: nam & plantarum aliæ ſemper frondent, aliæ frondem amittunt: & aues, quæ certo tempore ſe abdunt, & latent, pennas amittunt; qualis affectus caluitium in hominibus eſt; quibus accidit, vt caluescant: Quum enim paullatim & frondes, & pennæ, & pili defluant, vbi vniuerſim hic affectus euenerit, vocabula accipit hæc, caluеſcere, defrondeſcere, depenneſcere: cauſſa autem huius affectus inopia humoris calidi eſt; qualis præcipue eſt humor pinguis; quocirca plantæ, quæ pingues ſunt, fronde perpetua virent; ſed de his alias; ſunt enim in iis vel aliæ cauſſæ comites huius affectionis. Euenit hoc plantis hiberno tempore; mutatio enim hæc potior quam ætas earum eſt. Animalibus etiam, quæ latent, idem tempus iactura eſt: ſunt enim minus quam homines natura humida, atque calida. Homines autem ſuis ætatibus hyemem, æſtatemque agunt; quamobrem nemo, antequam coire incipiat, calueſcit; ſed a venereo coitu potius id euenit, ſcilicet iis, qui ſua natura ſunt eo propenſiores. Quum enim cerebrum frigidiſſimum omnium corporis partium ſit, tum rei venereæ vſus refrigerat: caloris namque ſynceri, naturaliſque ſecretio eſt: itaque cerebrum ſentit merito prius: quæ enim imbecilla, vitioſaque ſunt, cauſſa parua, exiguoque momento immutantur. Quapropter ſi quis cogitet, vt & ipſum cerebrum parum calidum eſt, magiſque talem eſſe obductam cutem neceſſe eſt, atque etiam magis naturam pilorum, videlicet quanto plus ipſa caloris origine diſtet, recte id ita euenire exiſtimabit, vt qui ſemen ferunt, ea ipſa ætate calueſcant, qua ſemen emittant. Eadem cauſſa eſt, & vt priore capitis parte calueſcant, & vt hominibus ſolis omnium animalium id eueniat: quod enim parte priore cerebrum continetur, hinc ea parte calueſcimus: quod autem homo maximum humidiſſimumque cerebrum habet, hinc ſolus animalium ita afficitur: mulieres non caluent, quoniam natura earum ſimilis puerorum eſt: vtraque enim ſterilis ſeminalis excrementi eſt: Spadones etiam non calueſcunt, quoniam in feminam mutantur; & pilos, qui poſtea gignuntur, aut non producunt, aut amittunt, ſi forte habent,*

bent,

Digitized by Google

bent, præter quam pubem, quam mulieres etiam habent; quum cæteris illis careant: oblæſio enim hæc mutatio de mare in feminam eſt. Cauſſa vero, vt quæ latent, rurſus pennas recipiant; quæque frondem amiſerint, denuo frondeſcant; caluis autem nunquam redeat pilus; quod anni tempora illis mutationem corporis magis afferunt: itaque pro temporum mutatione viciſſitudo gignendi amittendique ſequitur, vt animalia pennas, piloſve, plantæ frondes aut dimittant, aut recipiant: at vero Hominibus per ætatem euenit ver, æſtas, autumnus, hyems: itaque quum ipſæ ætates non permutentur, fit, ne affectus, qui ob eas accidunt, permutentur: quamquam ſimilis cauſſa eſt. Vnde conſtat aperte, ſolis Hominibus, ad animalium aliorum, & plantarum differentiam, quibus æſtiuæ, ac hyemales differentiæ, ſeu affectiones inſunt ab anni tempore, ſolis inquam hominibus ex propria natura ſuarum ætatum ineſſe diſcrimina veris, æſtatis, autumni, & hyemis, proportionabiliter cum anni temporibus quoad eſſentiam, non quoad horam; quoniam vt bruta deponant pennas & pilos, & plantæ frondes amittant, hiberno anni tempore, ac eas reſumant, æſtiuo opus habent: ſoli homines nulla iam habita ratione anni, quolibet anni tempore alij vernant, alij æſtiuant, vt ita loquar, alij autumnant, & alij hyemant. Quæ quidem differentiæ non ſolum in corpore, ſed etiam in animo humano paſſim obſeruantur; nam ætas puerilis quolibet anni tempore veri proportionata eſt, in corpore quidem, quia temperamento calida, & humida eſt, in qua plurimus eſt calor innatus in magna radicalis humoris vbertate; vt ait Hippocrates; cui *f Qui creſcunt, plurimum habent caloris innati:* f 1. aph. 14.
in animo vero, quia pueritia emittit veluti flores indolem futuræ maturitatis iudicij: ætas autem iuuenilis æſtati ſimilis eſt; in corpore quidem, quia ſimiliter in vtriſque viget intenſa caliditas, & ſiccitas; in animo vero, quoniam iuuenũ ingenia calore diſcendi flagrant, & æſtuant

in-

inuentionis ardore, pollentque ſiccitate acuminis: ætas vero virilis autumnum maxime refert fructibus refertiſſimum, calorem refractum habet cum remiſſa ſiccitate coniunctum; nam corpora in ætate virili ſunt calido, & ſiccitatem amittente temperamento, & maxime prolifica; ingenia quoque fructifera ſunt, & maturos partus edunt: Ætas denique ſenilis, & decrepita refert hyemem frigida, & humida, & ſterilis; in corpore quidem temperamentum eſt frigidum cum multarum humiditatum excrementitiarum abundantia, & infœcunditate; in animo vero, quoniam in vltimo ſenio mens effœta ſtupet, ac torpet: Quare Lucretius, ſi non de ſubſtantia animi, ſed de illius operationibus ſermonem habuiſſet, g lib. 3. vero conſentanea g dixiſſet,

Præterea gigni pariter cum corpore, & vna
Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem:
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, ſic etiam ſequitur ſententia tenuis:
Inde, vbi robuſtis adoleuit viribus ætas;
Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis:
Poſt, vbi iam validis quaſſatum eſt viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus;
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque,
Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt.

h 7. phyſ. t. 20. Nam & Ariſtoteleo monitu, h *Pueri neque poſſunt quid diſcere, neque indicare ſenſibus: ſimiliter neque ſeniores*: Et in decrepitis i 1. de an. t. 66. i ipſum *intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit, alio quodam*, nimirum ſimulachro rei intelligibilis, *interius corrupto: ipſum autem* principium intelligendi *impaſſibile eſt: cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt illius* principij impaſſibilis, adeoque animi *paſſiones; ſed huius* corporis *habentis illud* principium, *ſecundum quod illud habet. Quare & hoc* corpore *corrupto, neque meminit, neque amat*, principium

Digitized by Google

pium intellectiuum ſuperſtes; *non enim illius erant* paſſiones; *ſed communis* corporis animati; *quod quidem deſtructum eſt. Intellectus autem fortaſſis diuinius quid, & impaſſibile eſt.* Quæ latius explicauimus in Opere De *k* Animorum Immortalitate. Sed & hanc ætatum humanarum cum Mundi temporibus Analogiam optime deſcribit Galenus in ſuis Medicis definitionibus inquiens, *l Aetates quatuor ſunt, prima iuuenum, ſecunda vigentium, tertia mediorum, quarta ſenum: Iuuenes, temperatura calidi, & humidi ſunt, ac ſimiles Veri: Vigentes, calidi & ſicci, eamdem cum æſtate temperaturam adepti: Medij, frigidi, & ſicci, autumno conſimiles: Senes, frigidi & humidi, ac ſimiles hyemi. Redundat ſanguis iuuenibus; flaua bilis vigentibus; medijs atra; pituita ſenibus: quoniam innatus calor eſt iuuenibus multus; vigens vigentibus; medius medijs; ſenibus pauciſſimus. Iuuenta, eſt, in qua augeſcit animal, calore atque humore in ipſo incrementum capiente; quo tempore & æqualia alimentis delibamenta ſunt; aut eo, quod deſit, plus eſt, quod adgignitur: Vigor, eſt ætas, in qua auctum perfectumque animal eſt; abſolutis in eo calore atque humore; parem que ijs, quæ dimanant, cum ijs, quæ ingeruntur, modum obtinentibus: Senectus autem, eſt ætas, in qua diminuitur animal ac deficit, decreſcentibus in eo calido & humido, frigido autem & ſicco augeſcentibus.* In qua theoria, vt belle primum quatuor numerantur ætates, & apte comparantur anni tempeſtatibus; ita neſcio cur in vltimis verbis tertiam ætatem, quam mediam dixerat, hic autor omiſerit. Sic igitur, vt in Mundo, ſic in Homine ſunt quatuor tempora cardinalia ver, æſtas, autumnus, & hyems non ſolum quoad corpus, verum etiam quoad animum; vt enim ver flores profert; ita *m* Ciceroni Adoleſcentia dicitur flos ætatis, vndé Diuus Chryſoſtomus *n* ait, *Adoleſcentes in itaq litterarum magis ſtudiorum amœnitate conſpergi, quam fructuum vi ætate nutriri;* vt æſtate viget maxime caloris æſtus; ita iuuenum mores feruidi ſunt calo-

k lib. 2 cap 75. & 76.

l prope init. 1. d. 44.G.

m in Topic & lib. de ſenect.

n in prol. ſup. Matt.

re libidinis, & iræ plurimum æſtuantes, vt ait Ariſtoteles: vt autumno matureſcunt fructus plurimi; ſic in ætate virili temperatis exceſſibus vitiorum omnium, virtutes edunt maturos fructus *p* honeſtarum actionum: vtque hyems algore torpet; ita ſenum animus *q* metu concutitur, ac ſtupet iners.

1. rhet. c.p.11. *p* 2. rhet. c.14. *q* 2. rhet. c.13.

In Mundo vt in Homine ſpectari quamdam riſus imaginem. Cap. XXXI.

INter anni tempora, Vernum dicitur eſſe, in quo prata rident: etiamſi vero proprietatem Hominis maxime propriam eſſe riſum, ſiue riſibilitatem, vt aiunt Scholæ, nouimus omnes; adeoque vt *a* Porphyrius admonet omni, ſoli, & ſemper Homini conuenire; hoc tamen non impedit quominus eius affectionis quãdam imaginem etiam in Mundo ſpectemus; de qua pulchre Puteanus noſter ad Floritium *b* ita, *In meliori vultu niſi riſus eſt, venuſtas velut nube obſidetur: quum ſuauiſſima ætas eſt, ridet: quum pulcherrimus annus, ridet: quum ſine fæce Cælum, ridet: vbique Humanum hunc affectum Natura vſurpat, vt decorem augeat; aut certe facit Homo quod Natura, tamquam rideat, quum ſerenus eſt, & a curis rerum atque tempeſtatibus animum ſeparauit.* Cæterum vt in Homine paſſionis huius origo, & natura non ita patent; nam eas *c* Cicero faſſus eſt ingenue ſe ignorare, dum ait; *Quo pacto concitetur riſus, quomodo exiſtat, atque ita repente erumpat, viderit Democritus.* Qui claro magni ſenis *d* Hippocratis teſtimonio ſapientiſſimus in omnium rerum inſpectione contemplationeque riſum inueniens, & aperte proferens, aperte damnat *Famam illam Atticam, quam e* Aelianus aſſerit *percrebuiſſe, ne ridendi quidem poteſtatem in Academia prius fuiſſe: nam ab iniu-*

a cap. de propr. *b* diſp. de riſ. Saturn. dedic. *c* de orat. *d* epiſt. *e* 3. var. hiſt. c.35.

ria

ria & ignauia, animive diſſolutione purum & inacceſſum hunc locum ſeruare conabantur. Etenim & Gratiæ Muſis, & Sapientiæ iunctæ ridere dicuntur, & Cælum ridere; a quibus omnis abeſt iniuria, ignauia, & animi diſſolutio. *Gaudium certe nemo ſapienti eripit,* ait Muſarum *f* delicium; *ſed gaudij fructus riſus eſt, quemadmodum & doloris lacryma: ſi fructum proſcribimus, cur arborem toleramus?* Ridere licuit ergo Democrito, ſapientique viro, vel in Academia: ſed dum riſum ex Academia pellunt, Hominem ab ea depellunt, cui a natura penitus inſita eſt ridēdi facultas, & ad hunc affectum intima propenſio. Quin & cum locum inacceſſum rationi voluerunt, dum eo riſum peruenire non permiſerunt; quia riſus omnis a ratione funditur. *Riſit g Democritus, & hoc egit; quem nemo tamen ſapientiæ, aut grauitatis laude ſpoliauit: Immo ſapiens ideo Democritus, quia riſit; ſic docuit, ſic diſſeruit, ſic philoſophatus eſt: Tolle riſum, & Democritus non erit: iterum, tolle riſum, & præſtantiſſimum ſapientiæ lumen extingues. Plus ſcripſerit, an riſerit, dubites; & vtro amplius humano generi profuerit.* Democritum omnia ridentem, ſemperque ridentem Ariſtoteles ipſe ſupra veteres omnes Philoſophos laudibus extulit ad ſidera, dum ait, *h* Democritum ſolum omnia curaſſe. Certe vt in Homine *i Riſus a gaudio: gaudium ab eo quod iucundum eſt: nam, quoties ſuauitas pectus imbuit, Cor ſe laxat, & iucundo feruore hilaritatem exprimit: Animi motum vultus indicat, cum agitatione viſcerum thoracis adeoque oris muſculi tenduntur. Quam ſuauiter Natura ludat, ignorare nemo poteſt, niſi cui cornea fibra eſt.* Sic omnes norunt, a pacata cœleſtis Mundi conſtitutione in aſteriſmis, pacatam conſtitutionem in elementario Mundo gigni; quod *k* omnis huius Mundi virtus inde guberne‑tur, Ariſtotelis obſeruatu: pacata vero vtriuſque Mundi conſtitutio ſimile quid eſt gaudio; vnde ſerenitas, & tranquillitas, leniſque motus omnium noſtratium, qui

f Putean.
g Put.
h 1. de gen. 1.5.
i Put.
k 1. meteo. ſu.1. cap.2.

metaphoricus Mundi riſus eſt. Vt hinc etiam pateat non obſcura Mundi cum Homine ſimilitudo, quod vterque conſimilem affectionem ſuſcipiat, quam in Homine riſum appellamus nomine proprio, in Mundo ſaltem per tranſlationem riſum nuncupamus.

Mundum, & Hominem quoquopacto communicare in operationibus intellectus, ac voluntatis.
Cap. XXXVI.

POſt affectiones, quæ plerumque determinant, ac diſponunt ea, quibus inſunt, ad proprias operationes obeundas, conſiderandę ſunt Hominis, & Mundi functiones. Porro quum Homo ſimul ſit vegetans, & animal, & Homo; vt docuit nos
a 2. de gen. an. cap. 3. a Ariſtoteles; propterea cunctas habet vitæ functiones; etenim vita diſtributa eſt omnis in vegetalem, ſenſualem, & rationalem, ſiue intellectualem. Immo quum vi-
b 2. de an. t. 3. ta diuiſa ſit omnis ab b Ariſtotele in intellectricem, ſenſitricem, motricem, ſtatariam, augmentatiuam, diminutiuam; addas & generatiuam: Iam videamus an ſit Mundi quæpiam cognatio cum Homine pariter in huiuſmodi vitæ functionibus; quæ repugnante nemine reperiuntur omnes in Homine. Atque vt ab hoc ordine Ariſtotelico non diſcedamus, qui progreditur a notioribus: quod attinet ad operationes rationales internas, quæ duæ ſunt, Intelligere, ac Velle; vt vnicuique certum
c lib. 2 cap. 26. eſſe poteſt ex ijs, quæ fuſe diſſeruimus in opere De c Vita, Rationalis, ſeu intellectricis animæ functiones internas duplicis eſſe generis, alias nimirum a voluntate prodire, alias ab intellectu; quæ duæ ſunt omnes facultates animæ rationalis; adeoque generationi duas eſſe ſupre-
mas

mas operationes internas animæ rationalis in Homine, Intelligere, ac Velle; licet hæ ſingulæ ſubdiuidantur in plures alias minores ſpecies; vt eo loci probauimus. Ita ſane Mundum pollere duplici hoc functionum genere, confirmari poteſt ex Platone, Ariſtotele, ac ex rei natura: ex Platone quidem, qui definit in Timæo, Mundum eſſe animal intelligens Diuina prouidentia conſtitutum; prouidentia ſiquidem eſt habitus voluntatis, cuius natura eſt ad bonum tendere; vti prudentia eſt habitus *d* intellectus. Ex Ariſtotele vero, qui definit *e* Mundum eſſe ordinem, & digeſtionem vniuerſorum, quæ a Deo, & per Deum aſſeruantur: & alibi *f* decernit, Naturam Vniuerſi habere ipſum bonum, & ipſum optimum maxime in ſummo Deo, qui veluti Dux exercitus, & vnus *g* Princeps ciuitatis omnia optime gubernat: & multo prius *h* aſſerit, Deum, vt cauſſa & principium rerum omnium, maxime pollere intelligentia; & *i* eſſe in tota natura rerum, vt intellectus eſt in animalibus rationalibus; & alio in loco ſtatuit, *k* Vniuerſi animam eſſe intellectum: *l* Deumque non ociari, ſed operari; & illius operationem eſſe maxime intellectionem; & *m* curam, gubernationemque Vniuerſi: ac demum alibi, *n* *Neque eas meditationes ſolum eſſe actiuas, quæ gratia eorum fiunt, quæ ex agendo proueniunt; ſed multo magis quæ in ſeipſis perfectæ ſunt, ac ſuiipſarum gratia fiunt, contemplationes & meditationes: bene agere enim finis eſt; quare & actio quadam: maxime autem proprie dicimus agere etiam externis actionibus eos, qui intelligentia & cogitatione operibus præſunt, architecti: Quinimmo neque ſine actione eſſe neceſſarium eſt eas ciuitates, quæ poſitæ ſint in ſolitudine, & ita viuere eligentes; fieri enim poteſt, vt partibus inter ſe agere contingat: multæ enim communicationes ad inuicem ſunt partibus ciuitatis. Similiter autem hoc exiſtit vnicuique homini: vix enim Deus bene ſe haberet, & Mundus totus, quibus non ſunt actiones externæ*

d 6. ethic. c. 3. & 5.
e de mund. cap. 2.
f 12. meta. t. 52.
g 12. meta. t. 56.
h 1. meta. lib. 1. cap. 2.
i 1. meta. lib. 2. cap. 2.
k 1. de an. t. 46.
l 10. ethic. cap. 8.
m 10. ethic. cap. 7.
n 7. polit. cap. 3.

ternæ præter proprias ipſorum. Quod igitur neceſſarium ſit, eamdem eſſe vitam optimam priuatim vnicuique hominum, & publice ciuitatibus, & hominibus manifeſtum eſt. Si ergo Mundus totus habet operationem propriam; quum & Ariſtoteli ſit τὸ *o* intelligere; quin & eligere, vt alibi *p* probauimus; iam neceſſarium eſt, Mundum cum Homine communicare in functione intelligendi, ac eligendi: Sique Mundus habet actionem propriam; quum actionis cuiuſque principium *q* Ariſtoteli ſit electio, atque voluntas, dubio procul aſſerendum eſt, Mundo cum Homine communionem intercedere functionis a voluntate prodeuntis.

o 1. de an. t.12. 3. de ar. t.6.
p 3. de im. an. c.18. & ſeqq. paſſim.
q 1. mag. mor. c.10.

Mundo, & Homini proportio num inſit in locutione. Cap. XXXIII.

PRæter internas operationes proprias Hominis, quæ ſunt eligere, ac intelligere, functionem externam habet Homo propriam, quæ ſermo dicitur, & locutio, de qua fuſe nos egimus in opere De *a* Vita, oſtendentes eam eſſe propriam hominis, non autem communem brutis, nec idolis, nec animis a corpore ſeparatis, etſi pleraque horum loqui videantur; videndum nunc eſt an Mundo quomodocumque ſermo locutioque conueniat: ſane paſſim ſacra pagina loquentem inducit terram, & cælum, quæ ſunt Mundi partes præcipuæ; quin & ſingulas Mundi partes Deum *b* laudantes, ac *c* benedicentes inuocat: Plotinus etiam inducit Mundum loquentem, inquiens; *d Quoniam vero quod factum eſt, Mundus ſimul eſt totus, ſi mentis aures ad hunc conuertere libeat, forſan audies ita clamantem: Me procul dubio fecit Deus, atque ego inde factus ſum perfectus ex cunctis animalibus conſti-*

a lib. 3. cap.24.
b Pſal.148.
c Daniel. cap.3.
d en.3. l.2. cap.3.

Digitized by Google

ſtitutus, mihi ipſi ſufficiens, mihi penitus ſatisfaciens nullius indigus; quoniam omnia ſunt in me animalia ſimul atque plantæ, cunctorum natura generalium; Dijquamplurimi, Dæmonum populi, bonorum exercitus animorum, homines virtute felices, &c. Quem locum Ficinus explicans ait, *e Notabis interea vbi Mundus loqui fingitur; quandoquidem ſunt in infimo globo Mundi multa viuentium genera, eſſe quoque ſuperne multa per totum pro dignitate, & amplitudine ſpacij virtute magnitudineque ingentia, quorum prima Deos nominat, ſequentia Dæmones, tertia particulares animas, quæ transferuntur in Dæmones; & vbi ponit populos Dæmonum, oſtendit per totum ſupra nos mundum greges eſſe Dæmonum diſtributos, habereque Duces ſuos, &c.* Cæterum hic ſermo metaphoricus eſt, cuiuſmodi locutione donantur etiam Angeli; ſed tamen hac metaphora non prohibemur quin Hominem cum Mundo comparare valeamus, & vtrique communem vtcunque ſermonem ac locutionem dicere poſſimus; etenim & hac ratione legimus apud *f* Apoſtolum Homines cum Angelis comparatos, ait enim, *Si linguis Hominum loquar, & Angelorum.* Quin & Deum frequentiſſime loquentem inducit ſacra *g* pagina; ſed præſertim quum a Ioanne dum baptizaretur Dominus, *h Vox facta eſt de cælo, Tu es filius meus dilectus, in te complacui:* quæ ſimiliter *i* facta eſt de nube, dum Dominus transfiguraretur in monte Tabor. Sed Ariſtoteli Deus eſt forma *k* Vniuerſi, ac velut anima Mundi: quare Mundo conuenit vtcumque ſermo, & locutio; quam ideo functionem analogia quadam Homini, & Mundo communem eſſe ſtatuemus.

e in com.
f Pau. 1. Cor. c. 13.
g Geneſ. 1. & ſeqq.
h Marc. c. 1 Mat. 3. & Luc. 3.
i Luc. c. 9. Ioan. 1.
k 1. metaſu. 2. cap. 2. 12. meta. t. 49.

Mundus an habeat analogiam cum Homine in functione ſentiendi. Cap. XXXIV.

NOn defuerunt inter antiquos, & recentiores Philoſophos, qui ſenſum Mundo tribuerint; etenim

Py-

a 2. de plac. cap. 9. Pythagorici, quod aſſerit *a* Plutarchus, extra Mundum eſſe ponunt inane; in quod, & e quo Mundus reſpiret: quum reſpiratio viuentibus data ſit a natura non niſi ad temperandum æſtum internum; æſtus autem, ac refrigeratio ſenſu tactus percipiatur. Alij ſtellas nihil eſſe niſi mundi oculos dixerunt. Solem Homerus ait omnia audire, & omnia videre. Sed e recentioribus auſi nonnulli ſunt cælo, proindeque Mundo ſenſum internum dare, phantaſiam ſcilicet, ac vt ipſi dicunt cogitatiuam ab intellectu diſtinctam: Cœlius *b* Rhodiginus

b lib. 1. cap. 19. hanc opinionem e Platonicis colligit inquiens, *Liber parte hac cum Platonicis confabulari: in quorum ſacrarijs quum alia pleraque non abſque admiratione ſæpius lectitamus, tum id quod ſubnotabo ſtatim, Mundum, quum ſit animatus, ſentire, ac per ampliſſimam ſphæram præcipue, veluti per oculum intus omnia contueri: nam ſi nos per oculum noſtrum, quoniam ſit animatus, & diaphanus, & lucidus, multa perſpicimus, & radio etiamnum in ſublime ſurrecto, cæleſtia apprehendimus: Cur non, inquiunt, mundi cœleſtis oculus, viuus, perſpicuus, lucidus, radiosque ſuos in omnia propagans, itidem ſenſibilium concipiat modum? Amplius mundi globos, ſtellas ſenſu item non carere aſſerunt conſtantiſſime, quoniam, vt Plotinus aſtruit, vota cognoſcant noſtra, exaudiant quoque. Cæleſtibus ineſt quidem viſus, ſpecie tamen ab noſtro diuerſus, verum in eo non diuerſus, quia viuit: perſpicuus item eſt, atque lucidus. Auditu item prædita ſunt, ſed noſtro diſſimili. Inter omnia quæ ambitu cæli clusa continentur, viget communio quædam, & veluti nexus: cuius quinque videntur rationes; prima eſt, omnium materia vna: inde, qualitatum concordia; mox, ſpiritus vbique vnus; nam ſicuti cælum vnus eſt ſpiritus in excelſis, pariter intra cælum vnus itidem ſpiritus, vel cæleſtis omnino, vel cælo ſimillimus, omnibus eſt infuſus, noſtro conſimilis: quartum habet locum natura genitalis vna, fouens omnia per ſpiritum mutuo copulata: quintum poſtremo, mundi anima, omnibus connexa. Sed cur non & terram, inquit Plotinus, ſentire dicamus? Obſtat vero nihil, terram,*

ram,

ram eſſe ſenſu præditam, vt humana commodius, rectiusque diſpenſet, quæ eius ſunt muneris. Certe nil admodum impedimento eſſe poteſt, quin preces audiat adnuatque, nec tamen ea, qua ſolemus ipſi, ratione: neque enim cuncta animantia ſenſorijs ſunt eiſdem communita; nam & quædam aures habere non nouimus, nouimus autem tonos ab ijs concipi. Plotini verba ſunt, *c Poſtrema quidem vis animæ à terra exordiens, ſe ſe fundit per vniuerſum: vis autem animæ ſenſualis, & quæ opinantem poſſidet rationem, penes ſuperiora viget in ſphæris, incubans inferiori potentiæ, atque ex ſeipſa vim huic porrigens vitalem magis atque viuificam.* Quem locum ſic explicat Ficinus, *d Anima prima in mundo tanquam animali ſuo regnans, vitalem quidem virtutem à centro velut corde per totum propagare videtur, ſenſualem vero motricemque à ſphæris ſuperioribus velut à capite inchoans cæteris inde communicare.* Conſimiliter alibi Plotinus ait, *e* Non ſolum terram, & ſtellas, ſed etiam Mundum totum præditum eſſe ſenſu; quod ibidem Ficinus explicat, inquiens, *Quam animam corpori coniunctam neceſſario conſequatur ſenſus, animæ ſphærarum, ſtellarum, mundi ſentiunt. Mundus ſentit per aliam ſui partem, viciſſim partem aliam: item per totum partes* & mox. *Animæ ſphærarum, ſtellarumque, & anima mundi humana vident atque audiunt: ſed interim talia ſe ſentire minime ſentiunt; quoniam imaginatio, ad quam talis imaginatio pertinet, intenſiſſima ſemper eſt ad intelligentiarum notas in ſe figendas. Et ſi ſentire ſe noſtra forſan non animaduertunt, tamen precantibus benefaciunt, qualitumque ſenſu, & occulto quodam naturæ conſenſu.* Si ergo cum Platonicis philoſophari velimus, intercedit etiam Mundo cum Homine analogia, quod vterque ſenſibus præditus eſt; licet longe varia ratione Mundo, & Homini ſenſus ab ijs tribuatur; quod adnotat idem Plotinus inquiens, *f Quumque Mundus in tuto ſit collocatus, ideoque minime perturbetur, merito animam non perturbat. Quid ergo? nihilne ſentit omnino? viſum quidem non habet Mundus, Timæus inquit; quoniam neque oculos:*

c en. 2. lib. 2. c. 3.

d ibid. in com.

e en. 4. lib. 4.

f en. 3. lib. 4. cap. 4.

non habet auditum, ideoque nec aures, neque nares, neque linguam. Habetne igitur conſenſionem quamdam quodammodo quæ in ſeipſo ſunt percipientem, qualem in nobis nos experimur? At forſan quum ſemper ſecundum naturam in eo cuncta ſe ſimiliter habeant, quies in eo eſt quantum ſpectat ad ſentiendum, neque voluptas ineſt. Adeſt igitur & vegetale, quaſi non adſit, & ſenſuale ſimiliter. Sin autem cum Ariſtotele ſentiendum ſit, Quum animal in Peripato ſenſu præditum non ſit ſine *g* tactu; & omne tactiuum ſit ab exuperanti tangibili *h* corruptibile: qui Mundum ex Ariſtotele didicimus *i* incorruptibilem; confiteri debemus, a Mundi natura ſenſitricem animam, ſentiendique functionem abeſſe; proinde Mundum cum Homine non communicare proprie in ſenſu: Quod tamen non detrahit cultæ nobis in hoc volumine Mundi cum Homine Analogiæ; ſiquidem ſenſus non conuenit Homini per ſe primo, ac ſecundum quod ipſum, ſeu qua Homo eſt; ſed ſolum quatenus animal eſt; nam animal proprie per ſenſum *k* primo determinatur, vt ait Ariſtoteles.

g 2. de an. t. 17.
h 2. de an. t. 110. & 122.
i 4. meta. t. 23.
k 2. de an. t. 16.

Mundi, & Hominis analogia colligitur ex eo, quod vtriſque conuenit eodem fere modo operatio motus. Cap. XXXV.

ARiſtoteli porro Mundus cum Homine miram habet proportionem in operatione *a* motus: licet enim motus abſolute competat omni animali perfecto; nihilominus Homini propria quædam eſt motus ſpecies, quæ ab habitu virtutis, ſeu moralis, ſeu etiam intellectualis proficiſcitur; ac plerumque Homo, ſeu ſcribens, ſeu loquens, ſeu ridens, ſeu multarum artium operationes exercens, immotus ſecundum totum mouet ſolum par-

a 8. phyſ. t. 17.

partes, vt linguam, vel manum, vel aliam quampiam: quo modo Mundus etiam ſecundum totum permanet *b* immotus, quum *c* extra ſe locum non habeat, ad quem moueatur; aſſidue vero Mundi partes mouean- *b* 8. phyſ. t.52. tur, cælorum orbes circa centrum gyrantes, & elemen- *c* 1. cæl. t. 99. & ſeqq. ta fluxilia ſecum circumducentes; quorum leuia ſurſum motu proprio ſemper aſcendunt, & grauia deorſum recto motu ad centrum ſemper deſcendunt. Sed hanc Mundi cum Homine proportionem in operatione motus nobis propoſuit Ariſtoteles inquiens, *d Quum in nobis* *d* 8. phyſ. t.17. *nullus inſit motus aliquando, & fit aliquando in nobis ex nobis ipſis principium motus, etſi nihil extrinſecus moueat: hoc enim in inanimatis ſimiliter non videmus; ſed ſemper mouet ipſa aliquid aliud eorum, quæ ſunt extra; animal autem ipſum dicimus ſeipſum mouere: quare ſi quieſcit aliquando penitus, in immobili motus vtique fiet a ſeipſo, & non ab externo: ſi autem in animali hoc poſſibile eſt fieri, quid prohibet idem hoc accidere & in Vniuerſo? Si enim in paruo Mundo fit, & in magno: & ſi in Mundo, & in infinito; ſi contingit quidem moueri infinitum totum, & quieſcere.* ſcilicet quum Mundus moueatur ab interno principio gratia finis interni; ſolus homo poteſt & ab interno principio gratia finis interni moueri, quum inanimata omnia moueantur ab externo motore, & gratia finis extra ſe poſiti; cuius gratia quoque mouentur animalia bruta, quum homo moueri poſſit gratia finis interni, vt internam ſibi ſanitatem conſeruet; quod admonet *e* Ariſtoteles; homo enim *e* 2. phyſ. t.29.30. ambulat vt ſanus conſeruetur, quem finem ſibi non proponunt in motu animalia bruta.

Mundi, & Hominis analogia in functione nutriendi conſideratur. Cap. XXXVI.

PLutarchi *a* teſtimonio, Mundum alimento frui videtur cenſuiſſe Philolaus, & Plato; negauiſſe Ari- *a* 2. de plac. cap.5.

 ſtoteles;

ſtoteles; etenim *Plato ipſum Mundum ſibi mutatione eorum, quæ intereunt, ſuppeditare nutrimentum: Philolaus, dupli cem eſſe interitum, vnum igne cælitus defluente; alterum Lunari aqua per reuolutionem aeris effuſa; atque horum exhalationes eſſe alimentum Mundi: Ariſtoteles ſic, ſi alitur Mundus, etiam peribit: at nullo indiget nutrimento; eſt ergo ſempiternus.* Sed hac de re Magiſtrum

b 2. meteo. c. 2. audiamus in Meteoris conſimilia ſcribentem, b *Quapropter & deridendi ſunt omnes, quicumque priorum exiſtimauerunt Solem ali humido: & propter hoc quidam etiam aiunt facere verſiones ipſum: non enim ſemper poſſe eadem loca exhibere alimentum: neceſſarium autem eſſe hoc accidere circa ipſum, aut corrumpi: etenim manifeſtum, ignem, quamdiu habuerit alimentum, tamdiu viuere: humidum autem igni eſſe alimentum ſolum, tamquam pertingat vſque ad Solem quod ſurſum ducitur humidi; aut aſcenſus talis ſit, qualis quidem facta flammæ, propter quam ſignum accipientes & de Sole putauerunt: hoc autem non eſt ſimile: Flamma enim propter continuum humidum, & ſiccum, quæ permutantur, fit, & non alitur; non enim eadem exiſtens permanet vllo tempore, vt ita dicam: Circa Solem autem impoſſibile eſt hoc accidere; quoniam, ſi alitur quidem eodem modo, ſicut illi quidem dicunt; palam quod & Sol non ſolum, ſicut ait Heraclitus, nouus quotidie eſt, ſed ſemper nouus continue. Adhuc autem quæ a Sole fit eleuatio humidi, ſimilis eſt calefactis aquis ab igne. Si igitur neque ſuccenſus alitur ignis, neque Solem par erat exiſtimare, etiamſi omnem calefaciens euaporare fecerit aquam. Inconueniens autem & ſolum curaſſe de Sole, aliorum autem aſtrorum ipſos negligere ſalutem, tantorum & multitudine, & magnitudine exiſtentium.* Si ergo neque cæleſtia, neque ignis elemen-

c 2. de an. t. 40. tum, adeoque nec vllum c aliud elementum alitur, quæ ſunt partes Vniuerſum integrantes; profecto nec Mundus nutriri dicendus eſt; etenim viuentia noſtratia nu-

d 1 de gen. t. 33. & ſeq. 2. de an. t. 34. triuntur, quia ſingulæ ipſorum particulæ nutriuntur, d Ariſtotelis obſeruatu. Verum etſi Mundi partes proprie non alantur; non tamen ideo tollitur Mundi, &

Ho-

Hominis Analogia, quam in hoc opere colimus; tum quia nutricatio non conuenit Homini ſecundum quod homo eſt, ſed quatenus viuens eſt, ac vegetatiuus; nos autem hic Mundum comparamus cum Homine, non cum natura viuente, ac vegetatiua: tum quia non deeſt in propoſito quoque aliqua inter Mundum, & Hominem ſimilitudo, quoniam ignis, qui eſt vna partium integrantium vniuerſum, alitur quodammodo, ſaltem metaphorice, vt vulgo, & antiquioribus concedit Ariſtoteles inquiens, e *Videtur autem quibuſdam ignis natura ſimplici-* e 2.de an. t.40.
ter cauſſa nutritionis & augmentationis eſſe: etenim ipſe videtur ſolus corporum, aut elementorum ali & augmentari: Vnde & in plantis, & in animalibus putabit vtique quis hunc eſſe id quod operatur, f *Hic autem concauſſa quidem quodammodo eſt, non tamen* f t.41.
ſimpliciter cauſſa, ſed magis anima. Et alibi, g *At vero ignis duas* g de iu & ſene.cap.3
videmus corruptiones, marcorem, & extinctionem: vocamus autem eam quidem, quæ a ſeipſo, marcorem; eam autem, quæ a contrarijs, extinctionem: illam quidem ſenectutem, hanc autem violentiam: Accidit autem ambas propter idem fieri corruptiones; deficiente enim alimento, non potente calido accipere alimentum, corruptio fit ignis: contrarium enim ceſſare faciens concoctionem, prohibet nutriri. Quandoque autem marceſcere accidit, quum amplior congregatur calor, & præuenit conſumere, antequam adſit exhalatio: Quapropter non ſolum marceſcit minor ſecus maiorem ignem, ſed & ipſa per ſe lucerne flamma impoſita in maiori flamma comburitur, ſicut quodcumque aliud vſtibilium: Cauſſa autem, quia alimentum quidem exiſtens in flamma præoccupat prehendere maior flamma priuſquam adueniat alterum. Sicut ergo Mundus proprie, ac per ſe totus non alitur, ſed metaphorice tantum ſecundum aliquam ſui partem, eam nimirum, quæ inter elementares eſt principalis, & appellatur ignis; immo vero ſecundum ſingulam, ſi credimus Anacreonti, cui,

Fœcunda terra potat,

Hanc

Hanc arboreſque potant,
Et potat æquor auras,
Phœbuſque potat æquor,
Ipſumque Luna Phœbum:
Quid ergo vos ſodales
Potare me vetatis?

eſt autem potus obiectum ſitis, quæ definitur eſſe ap-
b 2. de an. t 28. petitus *b* alimenti frigidi & humidi: Sic plane tota ſpe-
cies Humana per ſe ac ſecundum quod ipſa non alitur; etenim ali non conuenit Homini qua homo eſt; ſoli namque conueniret homini;ſed quatenus viuens eſt: & humanę ſpeciei quędam partes (indiuidua namque ſpe-
i 1. phy. t. 4. ciei partes ſunt Ariſtoteli, cui *i* omne vniuerſale totum quoddam eſt, quod multa comprehendit, vt partes) aluntur, quædam non aluntur, ſed viuunt diu ſine alimento: de quibus nos olim dedita opera ſatis grande volumen edidimus.

Mundi, & Hominis analogia ſpectatur in operatione augmenti, & decrementi. *Cap. XXXVII.*

a 2. de an. t. 3. 13. 14. 37. & ſeqq. *b* 2. de an. t. 41. INter viuentium operationes *a* frequenter Ariſtoteles enumerat, *b* nutricatui proximas, ac tantum non eaſdem, augmentum, ac decrementum; ſiquidem conuerſio nutrimenti, vt ſubſtantia eſt, in naturam viuentis, altio nuncupatur; eiuſdem autem alimenti eadem conuerſio in eamdem animati naturam, vt eſt ſubſtantia quanta, dicitur auctio, & diminutio; nam auctio eſt conuerſio maioris alimenti in naturam viuentem, quam ſit ea portio, quæ a viuentis corpore defluxerit; diminutio eſt conuerſio minoris alimenti in naturam vi-

viuentis, quam ſit ea ſubſtantia, quæ ab animantis corpore defluxerit: Propterea, quæ nuper de nutricatione diximus in analogia Mundi, & Hominis, eadem plane de augmento, & decremento dicenda videntur: ſcilicet vt augmentum & decrementum non conueniunt Homini ſecundum quod homo, ac per ſe primo; non enim ſolus homo poteſt augeri, ac minui: ſic Mundo proprie non competit auctio, nec diminutio; quoniam *c* extra ſe locum non habet, in quem augeatur; nec *d* vacuum in natura toleratur; ſiquidem *e* Ariſtoteli, quod augmentatur, & diminuitur, neceſſario tranſmutatur ſecundum locum; nam particulæ illius, quod augetur, omnes mouentur ad ampliorem locum; ad minorem viciſſim partes eius, quod diminuitur. Neque diminutio Mundo conuenit, quoniam eo decreſcente, relinqueretur extra Mundum locus *f* vacuus, quem natura nec ibi, nec *g* alibi patitur. Præterea vero augmentum & decrementum ſunt operationes animæ *h* vegetantis, qua non animatur, nec viuit vniuerſum, ſed ſola *i* intellectrice, vt ait Ariſtoteles. Deinde vt Homini competit augmentum, & decrementum, ſi non ſecundum totum per ſe primo, ſed ſecundum partes; etenim Ariſtoteles ait, *k Suſcipiendum autem cauſſam, quum determinauerimus primum, vnum quidem, quod ea, quæ ſunt diſſimilium partium augentur, quia ea quæ ſunt conſimilium partium augentur, componitur enim ex his vnumquodque &c.* Ita Mundo competit augmentum, & decrementum, non ratione totius, ſed ratione ſuarum partium, nimirum elementarium, ac ſpeciatim ignis, qui dicitur *l* augeri combuſtibili. Deinceps vt Homini competit augmentum, ac decrementum, non proprie qua homo eſt, ſed qua vegetabile viuens eſt; ita Mundi partes non proprie, ſed metaphorice augeri dicuntur. Denique vero vt Homo non ſecundum omnia

nia

c 1. cæl. t.100.
d 4.phy.t. 60.& ſeqe.
e 1.de gen. t.25.
f 1. cæl. t.100.
g 4. phy. t.60.
h 2.de an. t.13.34.
i 1.de an. t.46. 1.meta.ſu. 2.c.2. 12. meta. t.49.
k 1.de gen. t.35.
l 2.de an. t.41.

nia ſua indiuidua creſcit, atque decreſcit, verum ſecundum aliqua tantum; nam & in ætate conſiſtenti, & ſine alimento plerique diu vitam agentes nec augentur, nec minuuntur; ita Mundi partes æthereæ ſine augmento & decremento viuunt; quum elementa Mundi partes aliæ, ac potiſſimum ignis augeatur, ac diminuatur; quod

m 1. meteor. cap. 2. Ariſtoteles confitetur aperte tum vbi ſcribit, *m Idem accidit & his irrationabile, & dicentibus primo humida exiſtente terra, & Mundo, qui eſt circa terram, a Sole calefacto, aerem factum eſſe, & totum Cælum augmentatum, & hoc flatus exhibere, & verſiones ipſius facere*. Sic ergo partes ætheris Ariſtoteli non

n 2. de an. t. 41. augentur, nec minuuntur: tum vbi dicit, *n Ignis enim augmentum in infinitum abit, quouſque fuerit combuſtibile*. Sic igitur partes Mundi ſubcæleſtes augentur, & minuuntur; quod vulgo dici conſueuit, æſtate quidem augeri aerem & ignem; ac viciſſim diminui terram & aquam, calore ſolis inferna hæc elementa diſſoluente magna ex parte in halitus, qui conuertuntur in aerem partim, partimque in ignem: hyeme vero terram augeri & aquam, aere ob frigus ambientis in aquam denſato, & aquæ partibus craſſioribus ab eodem frigore coactis in terram. Quare nec deeſt inter Mundum, & Hominem analogia penes augmentum, & decrementum.

Mundi, & Hominis analogia conſideratur in operatione generandi, procreandique ſobolem. *Cap. XXXVIII.*

a 2. phyſ. t. 13. 26. HOminem inter alias vitæ functiones, habere generationem prolis ſibi *a* ſimilis in ſpecie, nouū

b 2. de an. t. 34. non eſt: hanc autem operationem hominibus ineſſe ab anima *b* vegetali, gubernata tamen a ſentien-

c lib. 1. cap. 25. te, & rationali, dudum a nobis in opere De *c* Vita, & in vo-

volumine *d* De his qui diu viuunt ſine alimento comprobatum eſt: Hominem vero tali functione quandoque monſtra procreare, alias non egreſſum ſuæ ſpeciei commiſtionem, alias etiam nefaria Venere brutorum ſpeciei cuipiam commiſto ſemine, multiplici *e* nobis obſeruatione compertum eſt. Mundum pariter aliqua ratione vim & operationem procreandi res obtinere, vulgatiſſimum eſt; adeoque Mundum cum Homine in propoſito quoque proportionem habere, probabile ſatis eſt; Mundus enim ſubcæleſtis, quem Ariſtoteles etiam agnouit ortui & interitui iugiter *f* obnoxium, ſit a Mundo cæleſti, gubernante, ac generante cuncta ſubcæleſtia; quod Ariſtoteles aperte docuit his notis, *g Quoniam determinatum eſt prius a nobis, vnum quidem principium corporum, ex quibus conſtat circulariter latorum corporum natura; alia autem quatuor corpora, propter quatuor principia, quorum duplicem eſſe dicimus motum, hunc quidem a medio, illum autem ad medium: quatuor autem exiſtentibus his, igne, & aere, & aqua, & terra; omnibus quidem his ſupereminens, eſſe ignem; ſubſtans autem, terram; duo autem, quæ ad ipſa bis proportionabiliter ſe habent: aer enim igni eſt propinquior, quam alia; aqua autem terræ: qui itaque circa terram eſt totus Mundus ex his conſtat corporibus, de quo accidentes paſſiones dicimus eſſe ſumendum. Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur: Vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſſam putandum primam.* Verum non ſolum Mundi fructus, ac partus ſunt elementa, ſed etiam miſta omnia, tam inanima, quam animata; quod pulchre cecinit Virgilius, & ante Virgilium ſapienter docuit Ariſtoteles; ille quidem inquiens,

h Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus

d lib. 2. cap. 199.

e 2. de monſtr. cap. 68. & ſeqq.

f 4. meta. t. 23.

g 1. meteor. c. 2.

h 6. Æneid.

Digitized by Google

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus.

hic autem aſſerens, *i.* A natura Cæli, ac Mundi diuina, & immortali rebus alijs omnibus pendere eſſe, ac viuere, his quidem exactius, his autem obſcurius. Cæterum vt inter ea, quæ Mundi euentus, effectusque ſunt, elementa, plantæ, ac animalia, ceu partus naturales ac legitimi, ſuo genitori vtcumque ſimiles in ſpecie, numerari poſſunt; ita ſane Meteorologica, quæ ab *k.* Ariſtotele dicuntur fieri fere per accidens, ſeu Mundo accidere ſecundum inordinatiorem naturam Cæli, & Vniuerſi, veluti monſtra Mundi cenſeri debent. Quamobrem hac etiam ratione cognationem Hominis cum Mundo cognoſcimus; quoniam vterque procreatrice vi pollet, ac ſuæ productionis operatione aliquando perfectas naturas generat, ſibique conſimiles vtcumque, primario inſtituto; aliquando monſtroſas eſſentias conficit præter ordinem naturæ, ſeu ſecundario quodam inſtituto, ſiue per accidens, ac velut ex neceſſitate materiæ.

i 1. cæl. t.100.

k 1.meteo. c.1.

Peroratio totius operis. Cap. XXXIX.

ITa nos de Mundi, & Hominis Analogia; quam etſi alij, tum Phyſici, tum Chymici coluerint; eorum tamen placita commode referri poterunt ad ſuperiora theoremata; quibus oſtenſum eſt ineſſe miram Homini cum Mundo proportionem; quod vterque ſimilitudinem obtineat in nominibus, in cauſſa finali, in effectrice, in formali, in materiali, in modo productionis, & originis,

nis, in conſtitutione coagmentationeque, in eſſentia,in duratione, in vnitate, in finitate molis, in figura, in loci poſitionibus ac differentijs,in eo quod vterque eſt imago Dei,effigie Panis pingitur, in Hominis ſimulacro, in partibus integralibus, in partibus eſſentialibus, in charagmate Mundi intelligibilis, in anguis imagine, in ludo Dei, in templo Numinis repræſentando; in eo quod vterque comparatur domui, Ciuitati, ſiue Reipublicæ, carceri, ac ſpeluncæ, Prouinciæ, exercitui,currui,in habitudine partium ad inuicem, & ad totum,in habitudine ad anni tempora,in riſu,in operationibus intellectus, & voluntatis,in locutione,in functione ſentiendi,in motu, in operatione nutriendi,in augmento & decremento,& in functione generandi, procreandique ſobolem. Quæ theoremata vt ſucciſiuis horis veluti luſimus, ita lectoribus æquioris iudicij proponimus; ac S. R. E. cenſuræ ſubijcimus,nullum eorum approbantes, niſi quod ſacris canonibus approbatum fuerit. Laus Deo O.M. Diuæque Mariæ Magdalenæ, in cuius feſtiuitate contemplationem hanc terminauimus Batauij M DC XXXIII.

Digitized by Google

Mi Lector errata ſic emendabis, animaduertens primo numero notari pagellam, ſecundo lineam: primaſque voces eſſe menda, ſecundas emendata.

2.18. *καὶ ἐν τῷ-dele.* 17.11. *dare-dari.* 21.26. *ποήσας-ποιήσας.* 28.15. *qua cum-quacumque.* 33.10. *neque-nempe.* 37.30. *μόριον-μόριον.* 51.26. *μαδεῖν-μαθεῖν.* 51.27. *ὀυράνος-οὐρανίοις.* 51.28. *αἰδέρι-αἰθέρι.* 51.29. *ἠλιοιο-ἠλίοιο.* 52.12. *e cælo-Mundus eſt compago e cælo.* 55.33. *paſſionis-paſſiones.* 61.20. *ſeptima-ſeptimam.* 62.10. *extendatur-extenditur.* 67.14. *corporea-corporea.* 69.3. *figura-figura.* 75.31. *dextrum-Auſtrum.* 85.10. *ὀράτα-ὁρατά.* 88.20. *γε Θεὸν. dele.* 88.22. *πάνος-πανὸς.* 90.26. *genuinam-geminam.* 104. in margine.* *lib.1.cap.25.-* *lib.2.cap.18.* 134.4. *veram-verum.* 141.19. *&-ex.* 156.26. *progreditur-progreditur.* 158.29. *innocat-inuocant.*

Pro impreſſione

Fr. Antonius à Lendenara Inquiſitor Paduæ vidit, & approb.

Clariſſimo Sig. Sig. Colendiſſimo.

Hò veduto il retroſcritto libro, quale non hà coſa, per la quale non ſi debba laſciar ſtampare.

Deuotiſſimo ſeruitore

F. Fulgentio de' Serui.

Geronimo Cauazza Secret.

Stante la ſopraſcritta atteſtatione volendo l'Autore far detta opera ſtampare in Vdine, gli diamo facoltà poſſi mandarſi alla ſtampa. Li 5. di Febraro 1635.

F. Bartolomeo da Terni Inquiſ. Generale di Aquileia.